

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.

Commentarii in materiam de peccatis (1^a 2^{ae})¹

[f.373]

Quaestio 79 Quomodo Deus sit causa peccati

Ad 1^{um} et 2^{um} articulum: Dubitatur 1^o

Utrum Deus peccet vel moveat ad peccandum

Sectio prima. Haereticorum deliria et argumenta

Haeresis affirmantium Deum esse causam peccati initium sumpsit a Simone Mago teste Vincentio Lirinense in Monitorio ad Gentes², et Clemente Alexandrino, 3 Stromatum³, quem sequutus est Florinus apud Eusebium, libro 5 Historiae, cap. 20⁴, et

¹ Seguimos publicando el ms. 582 de la Biblioteca de la Universidad de Salamanca, *Commentarium in materiam de peccatis*, a la 1^a 2^{ae} de Santo Tomás. Ya publicados los comentarios a las qq.71, 72, 73, 74, 76, 88, 89, 75, 77, 78.

² Gregorio de Valencia en sus *Commentarii Theologici*, Disput. VI Gener., De vitiis et peccatis, Q.9, punct.1, *Num Deus sit causa efficiens peccati*, dice: *ita sensit Simon Magus, teste Vincentio Lirinensi in libro suo contra haereses*, c.34: GREG.DE VALENTIA, *Comment. Theol.*, t.II, Lyon 1603, col.595.

³ CLEMENTIS ALEXANDRINI PRESBYTERI ET ECCLESIASTICAE SCHOLAE MAGISTRI, QUI PANTAENI QUIDEM MARTYRIS FUIT DISCIPULUS, PRAECEPTOR VERO ORIGENIS.. *opera.. in latinum conversa..* a Gentiano Herveto Aureliano Ecclesiae Rhemensis canonico, *Stromatum libri octo*, 1.3: Parisiis 1590, p.452.

⁴ EUSEBIO DE PAMFILIA, *Ecclesiasticae Historiae libri decem*, 1.5, c.20: "... Irenaeus varias conscripsit epistolas. Alteram ad Blastum, quam scripsit *De schismate*; alteram ad Florinum *De monarchia seu Quod Deus non sit conditor malorum*. PG 20 483.

Blastus, contra quos libros duos scripsit Ireneus, ut refert idem Eusebius. Vide praesertim Irenaeum, libro 1, cap. 20⁵.

Apelliti vel apelliani, dicti ab Apele, discipuli Marcionis, cum gnosticis asserebant duos esse deos alterum malorum alterum bonorum causa, ut refert Augustinus, libro de Haeresibus, cap.23⁶, sed dissidebant quia gnostici constituebant deos duos tanquam duo prima principia, apellitae autem unum: alterum deum constituebant bonum, a quo factus esset alter deus qui quoniam malignus esset hunc mundum produxisset malignum. Vide elenchum haeresum, verbo *apelitae*⁷.

Idem sensere manichaei, [f.373v] ut refert Augustinus *De haeresibus*, cap.49⁸, et priscilianistae, contra quos scripsit Leo papa epist. 93 ad Turibium, Austriensem episcopum⁹, et cerdonitae, contra quos scripsit Tertulianus in libro *De praescriptione adversus haereticos*¹⁰.

Nostro tempore Lutherus et discipuli Melanchtonis, apud Sanderium, libro 7 *De visibili monarchia*, anno 1536¹¹, Calvinus et libertini haeretici, apud elenchum haeresum, verbo *libertini*, § *Ad haec*, et Theodorus Veza apud Bellarmino, infra, in reducendo peccato in Deum errant turpius quam antiqui haeretici, nam peccatum non tribuunt malo deo ut antiqui sed bono unico et vero Deo, idque duplici titulo: 1º, quia hominibus negant auxilia

⁵ DIVI IRENAEI, EPISCOPI LUGDUNENSIS ET MARTYRIS, *Adversus Valentini et similibus gnosticorum haereses libri quinque*, l.1, c.20: Parisiis 1575, p.54s; cf PG 670ss.

⁶ AGUSTÍN, *De haeresibus ad Quodvuldeus liber unus*, c.23: CCL 46 300; PL 42 29.

⁷ EPIFANIO, *Panarium (Adversus octoginta haereses)*, Contra Apellianos (Haer.44): PG 41 822.

⁸ AGUSTÍN, *De haeresibus... liber unus*, c.46: CCL 312s; PL 42 34.

⁹ LEÓN MAGNO, *Epistolae Decretales et familiares*, Epistula 93, ad Turibium Austriensem episcopum: Lovanii 1575, p.415s.

¹⁰ Q. SEPTIMIO FLOR. TERTULLIANO, *De praescriptione adversus haereticos liber*: Parisiis 1545, fol.42a; PL 2 88.

¹¹ SANDER, NICOLÁS, *De visibili monarchia Ecclesiae libri VIII*, l.7, anno 1536, 1537: Wiceburgi MDXCII, p.179.181.

necessaria ad non peccandum; 2^o, quia occasiones offert et movet et cogit ad peccandum, et cum hominibus peccatum operatur.

Contra hos videri potest Roffensis in Confutatione Lutheranae Assertionis, a.36¹²; Ruardus Taper, a.7 De libero arbitrio, propositione 10 per totam¹³; Sotus, De natura et Gratia, cap. 17 et 18¹⁴; Canus, 2 De locis, cap.4¹⁵; Vega, in Tridentinum, libro 2, cap. 14 et 15¹⁶; Bellarminus, tom.3 Controversiarum 2 generali lib. 2¹⁷; Valentia, 1^a 2^{ae}, disp.6, q.9¹⁸.

1^{um} ARGUMENTUM HAERETICORUM sumitur ex illis locis in quibus Deus dicitur auctor esse omnium nostrorum operum. Ut Ieremiae 10 [23], *scio Domine quia non est in homine via eius, et Ephes.1 [11], qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.*

CONFIRMATUR illis testimoniis qui asserunt homines impios ad supplicium a Deo factos esse. Ut Prov 16 [4], *omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum,* et ad Rom 9 [21], *an non habet figulus potestatem facere aliud vas in honorem et aliud in contumeliam,* et Ex 9 [16] et ad Rom 9 [17], *idcirco posui te ut ostendam in te virtutem meam.*

2^{um} ARGUMENTUM continet ea testimonia in quibus opera mala videntur Deo tribui, ut Ps 43 [19], *declinasti semitas nostras a via*

¹² J. FISCHER ROFFENSE, *Assertionis lutheranae confutatio*, a.36: Wirceburg 1597, [reprod.1967] col.660-716.

¹³ RUARDO TAPPER, *Explicationis articulorum... circa dogmata ecclesiastica*, Articulus septimus *De libero arbitrio*: Amberes 1555, tomo 1, p.309-15.

¹⁴ DOMINGO SOTO, *De natura et gratia libri III*, I.I, c.17 y 18: Salamanca 1554, fol.62-69.

¹⁵ MELCHOR CANO, *De locis theologicis libri duodecim*, I.2, c.4: Lovaina, 1564, p.27.

¹⁶ VEGA, ANDRÉS, *De iustificatione doctrina universa, libro 2, cap.15*: Colonia 1572, p.27. Cf. *Tridentini Decreta de Iustificatione... libris XV distincta*, I.13 in cap.14, c.18; I.14 in cap.15, c.3: Alcalá 1564, p.476; p.540s.

¹⁷ BELLARMINO, *Controversia de amissione gratiae*, I.2, c.3: ed. Vivès t.3, p.251.

¹⁸ GREG. DE VALENTIA, *Commentariorum Theologicorum, complectens omnia 1^a 2^{ae} D.Thomae Theoremata, Disput. VI Gener., q.9, punct.1, Num Deus sit causa efficiens peccati: t.II, Lyon 1603, col.595-606.*

tua, et Ps 118 [36], inclina cor meum Deus in testimonia tua et non in avaritiam, et Ps 140 [4], non declines cor meum in verba malitiae, Mt 6 [13], et ne nos inducas in tentationem.

3^o, quaedam peccata tribuuntur singulari Dei providentiae, ut Ps 104 [25], *convertit cor eorum ut odirent populum eius; Gen 45 [8], non vestro consilio sed Dei voluntate huc missus sum, et cap.50 [19], numquid resistere possumus Dei voluntati; Act 2 [23], Hunc, scilicet Iesum, definito consilio et praescientia Dei traditum est; Act 4 [27s], convenerunt Herodes et Pilatus cum gentibus et populis Israel contra Iesum facere quae manus tua et consilium decreverunt.* [f.374]

4^{um} ARGUMENTUM, quia saepe Deus dicitur indurare et decipere, ut Iob 12 [24s], *qui immutat cor principum populi terrae et decipit eos; et iterum [25] errare eos faciet quasi ebrios; et Ezech 14 [9], propheta cum erraverit ego Dominus decepi eum; et Is 19 [14], miscuit in medio eius spiritum vertiginis; Is 63 [17], quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te; et 6 [10], excaeca cor populi huius; et Ex 7, 8 et 9; Dt 2; Iosue 11; ad Rom 1 [28], tradidit illos Deus in reprobum sensum; 2 Tesal 2 [10], immisit illis Dominus operationem erroris ut credant mendatia.*

5^o ARGUITUR ex locis quibus Deo tribuitur malum, ut Is 45 [7], *ego Dominus creans malum; et Ier 11 et 18, et Amos 3 [6], si est malum in civitate quod Dominus non fecerit.*

6^o ARGUITUR, quia daemones, Dei iussu et voluntate dicuntur inducere ad peccandum, ut 1 Regum 16 [16] et 18 [10], *spiritus Dei malus arripiebat Saul; et 2 [=4] Regum 16 [11], Dominus praecepit Semei ut malediceret; et capite 24 [1], commovit furor Domini cor David, quod factum fuisse per Satanam traditur; 2 Paralip 1, et 3 Regum 22 [22s], vade fac ita et decipies, et infra dedi spiritum mendatii in ore omnium prophetarum.* Eadem ratio est de aliis locis in quibus ea quae ab hominibus sceleratis fiunt dicuntur fieri a Deo, ut a principali agente, et ab hominibus ut ab instrumentis, ut 2 Regum 12 [12], incestus Absalonis praedicitur hac comminatione: *tu fecisti abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel.* Simili ratione Is 12 [10,15] dicitur *numquid elevabitur securis contra eum qui secatur in ea, ubi*

Glossa¹⁹ *sicut instrumenta nihil sunt per se agentis*, ita Senacherib nihil per se operatus est; sed huius tyranni crudelem et illicitam fuisse actionem constat ex historia. Et in eodem capite [10,5], *virga furoris mei Assur*, et addidit [Is 7,18], *sibilabit Dominus muscae*, quae est in extremo fluminum Aegypti, id est, Aegyptiis in [²⁰] et inmundis. Vide plura apud Altissiodorensis, libro 2, tract. 26, q.2, § *Iterum arguitur quod peccatum sit a Deo*²¹.

7^o ARGUITUR ex Augustino, qui libro 5 Contra Iulianum, cap.3, ait *Deum indurare per potentiam et non per patientiam tantum*²²; et libro De gratia et libero arbitrio, cap.20, et magis expresse cap.21²³, ita loquitur: *Talibus testimoniis divinorum eloquiorum satis, quantum existimo manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandam eorum voluntatem quousque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis* [f.374v] *eorum; iudicio utique suo aliquando obscuro, aliquando manifesto, semper autem iusto*. Et, De correptione et gratia, cap.7 ait *Iudam electum esse a Deo ut illius sanguinem funderet*²⁴.

De rationibus autem quae pro hac haeresi afferuntur dicendum erit in sequentibus dubiis.

¹⁹ *Biblia Sacra cum Glossa ordinaria...* Is 10,15: tom.4, Lyon 1589, col.131.

²⁰ Espacio blanco como de 15 mm.

²¹ GUILLERMO ALTISSIODORENSE, *In Quatuor Sententiarum*, t.2, tract.26, q.2, § *Iterum arguitur*: Paris, s.f. (letra gótica), fol.103.

²² AGUSTÍN, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, l.5, c.3: PL 44 790.

²³ AGUSTÍN, *De gratia et libero arbitrio liber unus*, c.20s: PL 44 906 909.

²⁴ AGUSTÍN, *De correptione et Gratia*, c.7: PL 44 925.

Sectio 2

Veritas explicatur duplici conclusione

1^a CONCLUSIO DE FIDE: *Deus non potest peccare*. Deut 32, *Deus fidelis et absque ulla iniquitate*; Ps 144, *Sanctus in omnibus operibus suis*; Abacuc, 1 [13], *mundi sunt occuli tui et respicere ad iniquitatem non potes*; 1Jn 3 [5], *peccatum in eo non est*; ad Rom 3 [5], *numquid iniquus est Deus? Absit*; ad Rom, 9 [14], *numquid iniquitas apud Deum? Absit*. De qua re legendus D. Dionysius, 4 De divinis nominibus, versus finem²⁵; D. Augustinus, libro 83 Quaestionum, q.3²⁶, et De spiritu et littera, c.31²⁷, et 1 Retractationum, c.26²⁸; Damascenus, 2 Fidei, c.29²⁹, et libro 4, c.20³⁰. D. Thomas, 1 Contra gentes, c.95³¹, et 1 p., q.19, a.9³²; et alii Patres adducendi pro conclusione sequenti.

PROBATUR autem evidenter triplici ratione:

1^a, quia si Deus posset peccare posset esse malus, ac proinde non esset summum et incommutabile bonum.

2^a, quia si Deus peccaret deficeret a regula ac proinde non esset prima et suprema regula.

3^a, quia si peccaret dignus esset poena et infelix.

²⁵ DIONISIO AREOPAGITA, *De divinis nominibus*, c.4: Lovaina 1566, fol.130s; PL 122 1138ss.

²⁶ AGUSTÍN, *De diversis quaestionibus octoginta tribus*, q.3: CCL XLIV A, 12; PL 40 11.

²⁷ AGUSTÍN, *De spiritu et littera liber unus*, c.31: PL 44 235.

²⁸ AGUSTÍN, *Retractationum libri duo*, l.1, c.26: CCL 57 76; PL 32 624.

²⁹ JUAN DAMASCENO, *De Fide Orthodoxa*, l.2, c.29: Basilea 1575, p.148; PG 94 979.

³⁰ JUAN DAMASCENO, *De Fide Orthodoxa*, l.4, c.20: Basilea 1575, p.363s; PG 94 1195.

³¹ TOMÁS DE AQUINO, *Summa contra gentiles*, 1, c.95: ed.leon. 13, 258.

³² TOMÁS DE AQUINO, *Summa Theologica*, 1 p., q.19, a.9: ed. leon. 4, 247.

Sed CONTRA hanc conclusionem ARGUITUR quia quod possumus si volumus, absolute possumus; sed Deus potest peccare si vult; ergo absolute potest. Vide D. Thoma, quodlibeto 5, a.4³³.

RESPONDEO 1^o, maiorem esse falsam. Nam si quis non potest velle aliquid, illud non potest absolute facere; quamvis ex voluntate inferatur factum. Sicque, quia Deus non potest velle peccatum, non potest peccare; quamvis ex hoc quod velit peccatum inferatur eum peccare. RESPONDEO 2^o, si Deus velit peccatum, sequitur Deum peccare et non peccare, nam ex eo quod velit aliquid intrinsece malum sequitur illum esse subiectum alicui superiori a quo gubernandus sit et legibus coercendus, et propterea sequitur Deum peccare contra legem; sed aliunde, cum Deus sit prima regula bonitatis, eo ipso quod peccatum velit sequitur peccatum non esse peccatum sed bonum, de quo in q.71, a.6, dubio 6³⁴.

2^a CONCLUSIO. *Deus neminem cogit aut directe movit ad peccandum.* Est de fide. Eccli 15 [12], *ne dicas ille me implanavit; non enim necessarii sunt illi homines impii; omne execra-* [f.375] *-mentum erroris odit Dominus,* et infra [21], *nemini mandavit impie agere et nemini dedit spatium peccandi,* sc. licentiam; et Ioannis 1^a, capite 3, ex professo docet neminem ut filium Dei et ut procedentem a Deo peccare, sed ut filium diaboli et ab illo procedentem. Quod constat intelligendum esse de motione ad peccandum, sicut et verba Salvatoris, Ioanne 8 [44] *vos ex patre diabolo estis,* et infra [47], *qui ex Deo est verba Dei audit: propterea vos non auditis quia ex Deo non estis,* et de diabolo dicitur cum loquitur mendacium [44] *ex propriis loquitur,* sc. non motus et invitatus a Deo. Vide Augustinum, homilia 42 in Ioannem³⁵, et Chrysostomum, homilia 13³⁶.

³³ TOMÁS DE AQUINO, *Quaestiones quodlibetales*, Quodlibetum V, a.4: ed. Vivès, 13, 463.

³⁴ *Archivo Teológico Granadino*, 2 (1939) 280-287.

³⁵ AGUSTÍN, *In Ioannis Evangelium tractatus CXXIV*, tract.42: CCL 36 371s; PL 35 1704.

³⁶ JUAN CRISÓSTOMO, *In sanctum Ioannem apostolum et evangelistam* Homilia 54 (53): PG 59 299s.

Oppositum huius conclusionis, ut haeresis damnatur in Tridentini Sess. 6^a, can. 5 et 6 his verbis: *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum sed etiam proprie et per se a Deo, ut sit proprium eius opus non minus proditio Judae quam vocatio Pauli, Anathema sit*³⁷. Quibus verbis non solum probatur Deum non cogere ad peccandum, nam nec Paulum coegit ad bonum vera coactione quae libertatem excludit, sed etiam probatur Deum non suadere nec inducere ad peccandum sicut ad bona opera. Idem definitur in 2 Concilio Arausicano, cap. 25³⁸, et Lateranensi sub Alexandro III, cap. 27.

Et in universum mali seu peccati Deum non esse auctorem docent frequenter Ecclesiae Patres Dionysius et Damascenus citati in conclusione. Iustinus, in Dialogo cum Triphone, prope finem³⁹; Clemens Alexandrinus, 1 Stromatum, circa medium⁴⁰; Epiphanius, haeresi 66⁴¹; Irenaeus, 4 Contra haereses, c.48⁴²; Athanasius, oratione 1^a Adversus idola gentium⁴³; Gregorius Naziancenus, oratione 40⁴⁴; Gregorius Nissenus, homilia 8 in Ecclesiastem⁴⁵, et libro 7 Philosophiae⁴⁶; Origenes, libro 4 Contra Celsum, post medium⁴⁷; Tertulianus, in libro Adversus Hermogenem⁴⁸; Hieronymus, in id ad Ephesios qui operatur

³⁷ DENTZINGER SCHÖNMETZER, n.1556.

³⁸ J.D. MANSI, *Sacrorum Conciliorum ... collectio*, Conc. Arasic.II, c.25: Florentia 1762, t.8, p.716. Cf. c.15, p.715.

³⁹ JUSTINO, *Dialogus cum Triphone iudaeo*: PG 6 798 B.

⁴⁰ CLEMENTE DE ALEJANDRÍA, *Stromatum* I.1, c.17: Paris 1590, p.341; PG 8 799.

⁴¹ EPIFANIO, *Adversus octoginta haereses*, haeresis 60: PG 42 51.

⁴² IRENEO, *Contra haereses libri quinque*, I.4, c.48 (XXIX): PG 7 1063s.

⁴³ ATANASIO DE ALEJANDRÍA, *Oratio contra Gentes*: PG 25 11-14.

⁴⁴ GREGORIO NAZIANCENO, *Oratio 40*: PG 36 423.

⁴⁵ GREGORIO NISENO, *In Ecclesiastem*, hom.8: PG 44 751.

⁴⁶ GREGORIO NISENO, *Contra Eunomium orationes refutatoriae (XII)*, Oratio VIII: Colonia 1617, p.305b.

⁴⁷ ORÍGENES, *Contra Celsum liber quartus*: PG 11 1134.

⁴⁸ Q. SEPTIMIO FLORENCIO TERTULIANO, *Adversus Hermogenem liber*: Parisiis 1545, fol.120a; PL 2 229ss; CCL 1 404ss..

*omnia secundum consilium voluntatis suae*⁴⁹; Anselmus, libro De conceptu virginali et peccato originali, cap.5⁵⁰; Ambrosius, De paradiso, cap.15⁵¹; Basilius, homilia *Quod Deus non sit auctor malorum*⁵²; Chrysostomus, homilia 82, in illud Mt 26 *tu dixisti*⁵³ et homilia 87 in Ioannem⁵⁴, et homilia 23 in Acta Apostolorum⁵⁵; Augustinus saepe, praesertim in id Ioan 1, *sine ipso factum est nihil*⁵⁶, et 2 De libero arbitrio, c.20⁵⁷, et libro 3, c.13⁵⁸. Vide alia testimonia Augustini apud Magistrum, 2, d.37⁵⁹, praesertim ex libro 83 Quaestionum, quod frequenter usurpant scholastici *Deo auctore nemo fit deterior*⁶⁰; Theodoretus, libro 5 De graecanicis affectionibus⁶¹, et in Epithome divinorum decretorum, capite De antichristo⁶².

Idem probat fuse et eleganter Plato, libro 31, dialogo 2 de Iusto seu de Republica, [f.375v] versus finem⁶³. Vide quae ex

⁴⁹ JERÓNIMO, *Commentariorum in Epistolam ad Ephesios libri tres*, 1,11: PL 26 484s.

⁵⁰ ANSELMO, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.5: PL 158 438.

⁵¹ AMBROSIO, *De paradiso*, c.15: PL 14 329s.

⁵² BASILIO MAGNO, *Homilia Quod Deus non sit auctor malorum*: PG 31 330.

⁵³ JUAN CRISÓSTOMO, *In In Matthaem Homilia 81 (82)*: PG 58 732s.

⁵⁴ JUAN CRISÓSTOMO, *In In Ioannem Homilia 87*: PG 59 473.

⁵⁵ JUAN CRISÓSTOMO, *In Acta Apostolorum Homilia 23*: PG 60 181.

⁵⁶ AGUSTÍN, *In Ioannis evangelium Tractatus CXXIV*, 1, 13: CCL 36 7; PL 1385.

⁵⁷ AGUSTÍN, *De libero arbitrio*: CCL 29 272; PL 32 1269.

⁵⁸ AGUSTÍN, *De libero arbitrio*: CCL 29 297; PL 32 1289.

⁵⁹ PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 1.2, c.37: Ed. Quarachi 1916, t.1, p.505.

⁶⁰ IBID, p.508.

⁶¹ TEODORETO DE CIRO, *Graecorum affectionum oratio*, sermo 5: PG 83 926.

⁶² TEODORETO DE CIRO, *Haereticorum fabularum compendium*, 1.5, *Divinorum decretorum epitome*, c.23, De antichristo: PG 83 527-530.

⁶³ PLATÓN, *De Republica vel de Iusto ad Laurentium*: Basilea (versión de Marsilio Ficino) 1551, p.554.

illo refert Eusebius, De preparatione evangelica, libro 13, c.3⁶⁴, et libro 4, c.12⁶⁵, et ex Homero et aliis, libro 6, c.7⁶⁶.

In conclusione 2 continentur 3 puncta:

1^o, *Deum non cogere ad peccandum.*

Quod ratione PROBATUR, quia de essentia peccati est libertas, supra, q.71, a.6, dubio 4⁶⁷. CONFIRMATUR, quia si Deus hominem cogeret ad peccandum Deo imputandum esset peccatum potius quam homini. Ad eandem conclusionem probandam conferunt quae demonstrant libertatem arbitrii, de quibus late controversia huius temporis contra Lutherum. Similiter quae probant esse in potestate hominis bene operari, supra, q.18, a.1, dub.1⁶⁸.

2^{um} punctum est *indicare contradictionem quod Deus necessitet non solum ad actum turpem imputabilem sed etiam ad actum quemlibet turpem, quamvis illius turpitudinem imputetur deffectu libertatis.*

Et hoc PROBATUR quia, si Deus infert necessitatem ad aliquam nostram actionem, illam vult Deus voluntate efficaci, nam voluntate efficaci et imperio Deus operatur; ergo eadem actio non erit contra voluntatem et praeceptum Dei, ac proinde non habebit turpitudinem peccati. PROBATUR consequentia, quia alias erit in Deo voluntas efficax faciendi aliquid et compellendi nos ad illud et simul obligandi nos ad oppositum, quod vel includit repugnantiam voluntatum vel certe impiam quandam rationem agendi cum hominibus, ut dici posset cum Paulo ad Romanos 3 [5s] *numquid iniquus est Deus qui infert iram? quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Propterea Plato, 2 De republica, versus finem: *modis*, inquit, *omnibus pugnandum est ne Deus qui bonus est dicatur malorum causa, alioqui Deus secum pugnabit qui suis legibus*

⁶⁴ EUSEBIO PANFILIO, OBISPO DE CESAREA DE PALESTINA, Praeparatio Evangelica, libro XIII, c.3: PG 21 1063.

⁶⁵ ID., *Ibid.*, 1.4, c.12: PG 21 259.

⁶⁶ ID., *Ibid.*, 1.6, c.7: PG 21 434.

⁶⁷ *Archivo Teológico Granadino*, 2 (1939) 266-275.

⁶⁸ No consevamos este comentario.

*contraria fieri mandavit*⁶⁹. - Et haec repugnantia divinarum voluntatum maior esset si, ut haeretici volunt, Deus praeciperet peccata; iam enim darentur a Deo praecepta directe contradictoria, quod, insuper constat esse falsum, Ier 19 [5], *aedificaverunt excelsa Baalim quae non praecepi nec loquutus sum nec ascenderunt in cor meum*.

3^{um} est *Deum non inducere directe ad peccandum*.

Quod PROBATUR ratione praecedenti. Et praeterea CONFIRMATUR 1 Iacobi, 1^o capite [13]: *Deus neminem tentat*. Quod intelligendum esse non de tentatione probationis sed de illa quae inducit ad culpam, docet Augustinus, libro 2 De consensu Evangelistarum, cap.30⁷⁰. Atque eadem ratione Deus neminem perire vult, 2 Petri, 3 [9], et Ezechiel, 18 [23], *numquid voluntatis meae est mors impii*.

2^o PROBATUR, quia eiusdem rationis est velle aliquid et movere ad illud; sed Deus non vult [f.376] peccatum, ut in Ps 5 [5], *non deus volens iniquitatem tu es*, et Sapientiae 14 [9], *odio est Deo Impius et impietas eius*; ergo Deus non movet ad peccandum. CONFIRMATUR 3^o, quia Deus *nihil eorum quae fecit odio habet*, Sap 11 [25], et tamen odio habet peccatum et peccatorem; ergo non est causa ut homo peccator sit. CONFIRMATUR 4^o, quia nullus movet ad aliquid directe nisi ex intentione illius rei ad quam movet; ergo si Deus movet ad peccandum intendit peccatum et vult peccatum ac proinde peccat.

Haeretici huius temporis, ut Melancton, Hesusius, Calvinus, Zuinglius et Beza, apud Bellarminum, tomo 3 Controversia Generali 2, libro 2, cap.1 et 2 et 3⁷¹, agnoscunt blasphemiam esse affirmare Deum peccare vel causam seu auctorem esse peccati; sed hoc ex suo errore colligi negant. Verumtamen evidenter colligitur, quia causa impellens, cogens, imperans et movens ut

⁶⁹ PLATÓN, *De Republica vel de Iusto ad Laurentium*: Basilea (versión de Marsilio Ficino) 1551, p.554.

⁷⁰ AGUSTÍN, *De consensu Evangelistarum libri quatuor*, 1.2, c.30: PL 34 1112s, n.71.

⁷¹ BELARMINO, *Controversia de amissione gratiae*, 1.2, c.1,2,3: ed Vivès, t.5, pp.248-255.

principalis causa, absolute est causa et auctor absolutus alicuius actionis ad quam incitat multo magis quam instrumentum motum et coactum ad illam actionem; quare Deus solus auctor erit peccati et peccabit; homo autem non peccabit, ut ex superioribus rationibus constat. Has rationes catholicorum unica distinctione conantur eludere: dicunt enim haeretici scelera non esse scelera quatenus a Deo fiunt, sed tamen esse scelera quatenus fiunt ab homine idque propter duas praesertim rationes:

—1^a est quia essentialiter est contra legem peccatum; Deus autem nulli legi subiacere potest.

Sed CONTRA hanc rationem ARGUITUR quia quamvis ex hoc capite inferatur peccatum non posse cadere in Deum, praesertim quatenus ad essentiam peccati quae est oppositio contra legem supremi Domini, quia Deus nullum potest agnoscere superiorem; verumtamen ex alio capite colligitur actionem esse proprie peccatum, quia si Deus potest deviare a recta ratione iam eius voluntas et intellectus non potest esse prima regula boni, et propterea necessarium est gubernari ab alio intellectu et voluntate superiori praescribente leges et obligante. 2^o ARGUITUR quia licet illa propriissima ratio peccati abesset a divino actu, adhuc maneret alia turpissima, quia Deus faceret actum contrarium dictamini, ingenio et naturae Dei et indignum Deo; quod si Deus *fidelis permanet quia se ipsum negare non potest*, ut inquit Paulus 2 ad Timotheum 2 [13], eadem ratione Deus non potest odisse seipsum aut mentiri aut cogere aut invitare ad mendacia quia seipsum negavit. 3^o ARGUITUR, quia licet utraque ratio supra dicta cessaret, adhuc maneret in divina volitione malitia moralis quae consistit in oppositione contra honestum dictatum a ratione, quia volitio sumit malitiam ab obiecto malo volito, secundum illud Oseae, 9 [10], *facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt*; ergo si Deus vult nostra peccata turpis est divina volitio. [f.376v]

—2^a RATIO qua haeretici Deum excusant a malitia est quia Deus movet hominem ad scelera propter bonum finem.

SED hoc INEPTUM est, cum contra rationem sit malum velle propter finem quantumcumque bonum, ut velle furari ad dandam eleemosynam, ut aperte constat ex Paulo ad Romanos 3 [8] *et non, sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam nos dicere,*

faciamus mala ut inde eveniant bona. CONFIRMATUR 1^o, quia si haec ratio excusaret Deum a culpa, eadem ratione excusaret hominem qui a Deo movetur; nam Deus omnia quae movet, ad se ipsum dirigit ut ad ultimum finem, secundum illud Prov 16 [4] *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*; quare etiam actio hominis ordinabitur ad Deum ut ad ultimum finem ac proinde non erit mala. CONFIRMATUR 2^o, quia actio instrumenti et principalis agentis in eundem finem tendit, nostra autem voluntas, dum peccat est instrumentum Dei ex sententia haereticorum.

Quod SI RESPONDEAS hominem peccare Deum autem non peccare, quia homo vult mala intentione bona quae Deus vult bona intentione, INQUIRO de illa prava intentione utrum Deus ad illam moveat, quod si movet ad illam, Deo etiam imputabitur mala intentio, si autem non moveat ad illam, iam non movet ad peccandum. CONFIRMATUR denique ratione Augustini, libro 83 Quaestionum, q.3⁷², quia nullo homine probo volente aut incitante fit alius homo deterior; ergo Deo auctore volente nullus fit deterior. Vide alias rationes infra, dubio 3.

Ex dictis SEQUITUR 1^o, non posse a solo Deo infundi habitum vitiosum aut quamvis aliam entitatem per se inclinantem ad actionem peccati.

COLLIGITUR 2^o erroneam esse sententiam Abulensis, viri alioqui pii et eruditissimi: in c. 2 Josue, q.30⁷³, docet Deum movisse Raab ad mentiendum, et universaliter movere posse ad peccata venialia quae necessaria sunt ad aliquem bonum finem, licet non possit ad mortalia. Quae sententia abunde impugnata manet ex praecedentibus argumentis et praeterea illius fundamentum manifestam repugnantiam continet; supponit enim Abulensis aliquando non posse vitari mortale peccatum nisi committendo veniale, unde sequitur iam tunc rectam rationem

⁷² AGUSTÍN, *De diversis quaestionibus octoginta tribus*, q.3: CCL XLIV A, 12; PL 40 11.

⁷³ ALPHONSUS THOSTATUS EPISCOPUS ABULENSIS, *In librum Josue*, c.2, q.30: Venecia 1530, fol.32v-33r.

dictare peccandum esse venialiter, quod est contra rationem peccati. Vide supra q.19, a.5, dubio 14⁷⁴

Insuper qua ratione Deus potest inducere et movere ad veniale propter vitandum mortale, posset inducere ad mortale levius propter vitandum gavius, quod est haeresis nuper refutata. Ac denique peccatum quantumcumque veniale, secundum rectam rationem non esse eligendum propter finem quantumcumque bonum, demonstratum est auctoritate et ratione supra, q.18, a.4 et 5⁷⁵.

Sectio 3 Solvuntur argumenta haereticorum proposita in sectione 1^a

Ad 1^{um} RESPONDEO 1^o: illa verba tantum probant Deum generali et universali concursu concurrere ad omnes nostras actiones etiam malas, de quo infra, dubio 2. RESPONDEO 2^o quando Ieremias ait *non est hominis via [f.377] eius*, affirmat necessariam esse gratiam ut recta sint opera nostra, ut exponunt sequentia illius verba *nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos; corripe me* etc. Et Hieronymus, ad Ephesios 1 [11]⁷⁶: ita Paulus intelligit ut Deus *secundum consilium voluntatis suae operetur omnia quae operatur* et eo modo quo operatur illa; peccatum autem ut peccatum est Deus non operatur sed actionem peccati operatur ut generalis causa et hoc modo operatur secundum consilium voluntatis suae.

Ad confirmationem RESPONDEO: Deus fecit substantiam hominis quem praescit impium fore et quem Deus non vult facere impium sed tantum vult permittere impietatem illius et illam punire aeterno supplicio. Et hoc vult Deus *propter semetipsum*. Ita

⁷⁴ No poseemos este comentario.

⁷⁵ No poseemos este comentario.

⁷⁶ JERÓNIMO, *Commentariorum in Epistolam ad Ephesios libri tres*, 1,11: PL 26 484s.

fere Beda, Prov. 16 [4]⁷⁷, in iis commentariis quae habentur inter opera Hieronymi. Eodem modo Deus facit *vas in contumeliam* faciendo quidem substantiam et artificium vasis et non elevando illud ad honorem sed permittendo ut homo sua sponte se faciat vas contumeliae, sicque excitavit Pharaonem et in sede regni constituit et permisit illius impietatem ut contra illum ostenderet signa atque prodigia. Vide de his Augustinum in epistula 105 ad Sixtum⁷⁸, et epistolam 160 [106] ad Paulinum⁷⁹, et in Enchiridio, cap.26⁸⁰. Vide etiam quae dicemus infra, a.3.

Ad 2^{um} RESPONDEO regula communi sanctorum: verba Sacrae Scripturae quae daemonis aut hominis improbitatem Deo tribuere videntur non Dei volitionem positivam aut motionem ad peccandum, sed tantum permissionem significant. Ita Chrysostomus, homilia 36 in id Mt 10 [34]⁸¹, *non veni pacem mittere sed gladium*; Damascenus, 4 Fidei, c.26⁸²; Augustinus, De gratia et libero arbitrio, c.23⁸³; Anselmus, libro De casu diaboli, c.20 et 27⁸⁴, quem refert et sequitur Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.2⁸⁵. - Quae exponendi ratio tunc praesertim locum habet quando permissio continet denegationem specialis auxilii aut quando offeruntur occasiones peccandi quae ex se bonae sunt, quo modo Augustinus⁸⁶ et Theodoretus⁸⁷ exponunt illud Psalmi 104

⁷⁷ Cf. JERÓNIMO, *Commentarius in Proverbia*, c.16: Paris 1546, t.7, fol.14v.

⁷⁸ AGUSTÍN, *Sixto presbytero instruens illum adversus pelagianorum argumenta*: Lion 1561, 528-547; PL 33 875-879.

⁷⁹ AUGUSTINUS ET ALIPIUS, *Bonifacio sive ut alii codices habebant, Paulino, laudans librum adversus pelagianos ab eo conscriptum, et plenius eum instituens adversus eam haeresim*: Lion 1561, 547-566; PL 33 822ss.

⁸⁰ AGUSTÍN, *Enchiridion ad Laurentium de fide et spe et caritate*, XXVI 102: CCL 46 p.104.

⁸¹ JUAN CRISÓSTOMO, *In Matthaicum Homilia 35 (36)*: PG 57 405s.

⁸² JUAN DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, 1.2, c.29: Basilea 1575, p.149s; PG 95 1218.

⁸³ AGUSTÍN, *De gratia et libero arbitrio liber unus*, c.23: PL 44 910s.

⁸⁴ ANSELMO, *Dialogus de casu diaboli*, c.20 y 27: PL 158 351s, 360.

⁸⁵ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.2, inq.1, tract.1, q.94, M.3, a.6, § 2: Quaracchi 1930, t.III, p.15.

⁸⁶ AGUSTÍN, *Enarrationes in Psalmos*, 104 25: PL 31 1398.

[25], *convertit cor eorum ut odirent populum eius*, scilicet, multiplicando israelitas et benefaciendo illis, qua occasione ardebat inimicorum invidia.

Ad 3^{um} RESPONDEO sicut ad 2. — Et insuper notandum est circa ea loca Sacrae Scripturae effectum bonum sequutum ex peccato non raro esse intentum per se a Deo, quamvis Deus non intendat per se effectum fieri per hoc medium malum, sed Deus praecognoscens voluntatem hominis propensam ad illud peccatum ex quo resultat talis effectus bonus quem Deus intendit, permittit peccatum, et ex illo elicit bonum effectum quod optime persequitur. Damascenus, 2 de Fide, c.29⁸⁸. Et circa passionem Christi Domini, optime explicat Leo sermone 6 de Passione⁸⁹. Et hinc colligitur intellectus ad caput 50 Genesis qui confirmatur ex illis verbis *vos cogitastis de me malum sed Deus vertit illud in bonum*, de quo bono D. Ambrosius, libro De Ioseph, c. 12⁹⁰. [f.377v]

Sed INSTABIS: verba illa Act 2 et 4 dicta sunt ne iudaei desperarent veniam facinoris; quare videntur dicta ad extenuandam illius gravitatem, quod clarius constare videtur in verbis Ioseph ad suos fratres, vel facinora nulla ex parte excusantur Dei consilio nisi illo incitati fuerint homines ad peccandum; ergo Deus incitavit ad illa facinora. RESPONDEO: quamvis in praedictis locis Geneseos et Actuum adducatur divinum decretum ut in spem veniae erigantur illi quos deterrebat criminis immanitas, nihilominus hoc non fit extenuando eorum facinus sed ostendendo illas personas quae iniurias acceperant, videlicet Ioseph et Christus Dominus, usque adeo gaudere de bono fine intento a divina providentia, ut propterea culpae quas permittere opus fuit ad illum finem consequendum libenter ignoscant.

⁸⁷ TEODORETO, *Interpretatio in Psalmos*, 104, 25: PG 80 1715.

⁸⁸ JUAN DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, 1.2, c.29: Basilea 1575, p.149; PG 94 970.

⁸⁹ LEÓN MAGNO, *De Passione Domini sermo VI*: Lovaina 1577, p.234-239; PL 54 381.

⁹⁰ AMBROSIO, *De Ioseph patriarcha*, c.12: PL 14 699.

OBIICIS praeterea: saltem illa verba: *num Dei possumus resistere voluntati*, indicant fratres Iosephi Dei voluntate impulsos esse ad facinus. RESPONDEO: illa verba non referuntur ad crimen fratrum sed ad patientiam Iosephi et conformitatem illius cum divina voluntate, ut exponit Chrysostomus, homilia ultima in Genesim⁹¹.

Ad 4^{um} RESPONDEO: Deus excaecat, indurat, decipit et errare facit permittendo et non efficiendo. Quare, hae locutiones figuratae sunt et non propriae, de quo fuse dicendum est in a.3.

Ad 5^{um} RESPONDEO verbis Hieronymi, Amos, 3 [6]⁹², *malum quod Dominus facit in civitate non est virtuti contrarium sed afflictio et cruciatus, de quo legimus Mt 6 [34], sufficit diei malitia sua*. De hoc late Altissiodorensis, libro 2, tract. 26, q.2, § *Iterum arguitur quod peccatum sit a Deo*⁹³. Quod si OBIICIAS: Deus potest esse auctor eius mali quod est poena, ergo etiam potest esse auctor culpae. RESPONDEO ex D. Thoma hic ad 4, negando consequentiam, nam poena quae a Deo infligitur, licet sit mala secundum quid, scilicet, quia destruit aliquod bonum particulare personae, nihilominus est bona simpliciter, quia non destruit ordinem rectae rationis et ordinationis hominis ad Deum, sed potius aliquo modo reparat et recompensat bonum quod peccato destructum erat, et reducit ad ordinem quod ab ordine discesserat; peccatum vero, ex sua ratione intrinseca, avertit a recta ratione et a Deo; quapropter est malum simpliciter et non potest a Deo fieri. Recte igitur Dionysius, cap.4 De divinis nominibus, p.4⁹⁴, ait *puniri non est malum, sed fieri poena dignum*. Vide Augustinum, De libero arbitrio, initio⁹⁵, et 1 Retractationum⁹⁶, cuius verba

⁹¹ JUAN CRISÓSTOMO, *In Genesim*, Homilia 67: PG 54 576.

⁹² JERÓNIMO, *Commentarius in Amos prophetam*, c.3, v.6: Paris 1546, t.6, fol.38v.

⁹³ GUILLIERMO ALTISIODORENSE, *In Quatuor Sententiarum*, t.2, tract.26, q.2, § *Iterum arguitur*: Paris, s.f. (letra gótica), fol.103.

⁹⁴ DIONISIO AREOPAGITA, *De divinis nominibus*, c.4, pars 4: Lovaina 1566, fol.125b; PL 122 1141D.

⁹⁵ AGUSTÍN, *De libero arbitrio*: CCL 29,211; PL 32 1222.

⁹⁶ AGUSTÍN, *Retractationum libri duo*, 1.1 (XXI): CCL 57 76; PL 32 625.

affert Magister, 2, d.37, fine⁹⁷, ubi conciliat illa verba Sacrae Scripturae *Deus mortem non fecit* [Sap 1,13], et alibi, *mors et vita a Domino Deo est* [Eccli 11,14], dicens iustum esse ac proinde bonum punire malum et hanc mortem poenae fieri a Deo, sed non fieri a Deo eam mortem ratione cuius poenae digni sumus.

Ad 6^{um} RESPONDEO sicut ad 2^{um}, videlicet, ea verba intelligenda esse secundum permissionem. Quod expresse affirmat Augustinus, libro De gratia et libero arbitrio, c.20⁹⁸, ex quo et ex Damasceno, supra, notandum est permissionem in Sacra Scriptura appellari non solum actionem Dei sed etiam aliquando praeceptum [f.378] -tum, quo modo Christus Dominus quasi imperans dicebat, Jn 2 [19], *solvite templum hoc; Ille autem dicebat de templo corporis sui*. Et Mt 23 [32] *implete mensuram patrum vestrorum*, et Jn 13 [27], *quod facis fac citius*. Quae verba, licet praeceptum sonent, verum non esse praecipientis sed permittentis et praedicentis futurum et exhibentis se paratissimum ad quam citissime obeundam mortem, docent ibi Augustinus⁹⁹, Chrysostomus¹⁰⁰ et Origenes¹⁰¹.

Circa eadem testimonia observandum est, in demone et quibus hominibus sceleratissimis esse peculiarem rationem propter quam dicantur agere ex imperio et motione Dei, scilicet, quia demones paratissimi sunt ad nocendum et decipiendum, ita ut non minori conatu exsequantur mala quae illis permittuntur quam si Dei impulsum et imperium exsequarentur. Qua figura loquendi herus qui ferocem canem solvit, etiam quando illius ferocitatem voce aut nutibus non acuit dici potest misisse canem ut ingredientem invaderet. — Atque eadem est ratio propter quam demones et tyranni dicuntur instrumenta Dei.

⁹⁷ PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.37: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.508s.

⁹⁸ AGUSTÍN, *De gratia et libero arbitrio liber unus*, c.20: PL 44 906s.

⁹⁹ AGUSTÍN, *In Ioannis Evangelium...*, trac.42 4; CCL 36 484; PL 1803

¹⁰⁰ JUAN CRISÓSTOMO, *In sanctum Ioannem apostolum et evangelistam* Homilia 23; Homilia 72: PG 59 141; 391.

¹⁰¹ ORIGENES, *Commentariorum in Evangelium secundum Ioannem tomus tricessimus secundus*: PG 14 806.

Si addas Deum ita temperare occasiones nocendi per bonos effectus a se productos, ut demones et homines nocere non possint alia in re aliove modo aut maiori nocimento quam pro mensura et gradu requisito ad finem intentum a Deo, ita ut non minus apte et efficaciter Deus consequatur suum finem quam si demonum et hominum scelera vere essent instrumenta Dei. Qua phrasi artifex machinae qui fluminis cursu obiectis crepidinibus coercet et certa mensura latitudinis atque altitudinis viam aperit et rotam praeparat, etiamsi non intenderet aquae descensum sed tantum intenderet permittere ut aqua descenderet et intenderet etiam motum rotae inde resultantem, dici posset uti aqua ut instrumento ad movendam rotam. De hac re copiose disputat Hugo de S. Victore, libro 1 De sacramentis, p.5, cap. 29¹⁰², et diximus de hoc ex professo in 1^a parte, disputatione de praedefinitionibus, q.7, sect.7¹⁰³.

Ad 7^{um} RESPONDEO: mens Augustini adeo manifesta est ut nullus restet dubitandi locus quin Augustinus sentiat Deum substrahendo peculiaria auxilia permittere peccatâ; et propterea dicit inducere ad peccandum, non quod Deus vere hortetur aut moveat ad peccandum, quod ex multis locis Sancti Augustini probabimus infra, a.3, conclusione 1. De quibus et de aliis testimoniis D. Augustinus videri potest Bellarminus, tomo 3, Controversia Generali 2, libro 2, cap.16¹⁰⁴. Eodem modo intelligendus est Hugo de S. Victore, De sacramentis fidei, libro 1, p.5, cap.29¹⁰⁵, dicens Deum excitare malas voluntates ad volendum et dirigere ad perficiendum, sed antecedentibus et consequentibus verbis manifeste se explicat ut velit illud tantum quod ad 6^{um} argumentum diximus.

¹⁰² HUGO DE SAN VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, l.1, p.5, c.29: PL 178 259s.

¹⁰³ DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *De Providentia praedefiniente, ac praebente praedestinationis exordium*, Tract.2, De praedefinitionibus, Disp.7, sec.2: Lyon 1631, p.101ss.

¹⁰⁴ BELARMINO, *Controversia de amissione gratiae*, l.2, c.16: ed Vivès, t.5, pp.286-293.

¹⁰⁵ HUGO DE SAN VICTOR, *De Sacramentis Christianae Fidei*, l.1, p.5, c.29: PL 178 259s.

Ariminensis, 2, d.34, q. unica, a.3¹¹⁷, et eandem docuit Melancthon, ut refert Valentia, tom.2 Theologiae, disp.6, q.9, puncto 1, ad argumentum 6¹¹⁸, qui quamvis concedat eum immediate concurrere ad omnem bonum effectum, asserunt tamen ad actum seu voluntatem malam nulla ratione Deum concurrere, non solum quatenus mala est sed nec quatenus voluntas aut actus est.

PROBANT 1^o, quia actio peccati nullo modo est bona; ergo nullo modo Deus ad illam concurrat. Huius argumenti antecedens esse FALSUM constabit ex sequentibus. - Eundem errorem deduxerunt longa ratiocinatione ex sententia Augustini, cui tamen recte satisfacit Magister, 2, d.37¹¹⁹. Quod si Augustinus, 2 De libero arbitrio, c.20¹²⁰, ait *motum aversionis* a Deo non esse, loquitur de peccato formaliter in quantum peccatum est, quod, ut sic, non est a Deo, quamvis a Deo sit entitas peccati.

Sit ergo CONCLUSIO CERTA: *omnis actio mala producitur a Deo qua ratione actio est et quatenus ens est*. Ita D. Thomas hic, a.2; Albertus, 2 p., trac.22, q.134¹²¹; Altissiodorensis, libro 2, trac.11, q.4 circa 4 cap.¹²²; Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.6, § 2 et 3¹²³. In hanc sententiam videtur inclinare Magister, 2, d.37¹²⁴, quamvis postea definitionem quaestionis committat prudentis lectoris arbitrio, verum adhuc docuere postea communiter scholastici re melius examinata. Unde D. Thomas ibi, a.1,

¹¹⁷ GREGORIUS ARIMINENSIS OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 2, d.34, q.1, a.3; Berlin N.Y. 1980, t.6, p.256.

¹¹⁸ GREG. DE VALENTIA, 1^a 2^{ae}, Disput. VI Gener., q.9, punct.1: t.II, Lyon 1603, col.605.

¹¹⁹ PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.37: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.505s.

¹²⁰ AGUSTÍN, 2 *De libero arbitrio*, c.20: CCL 29 273; PL 32 1270.

¹²¹ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologica*, 2 p., trac.22, q.134: Paris t.33, 1895, p.451s.

¹²² GUILLERMO ALTISIODORENSE, *Summa Aurea*, l.2, tract.11, c.3 (*Unde malum sit*), q.4: Spicilegium Bonaventurianum XVII, p.350.

¹²³ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.2, inq.1, tract.1, q.94, M.3, a.6, § 2 et 3: Quaracchi 1930, t.III, p.15 y 18.

¹²⁴ PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.37: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.506.

q.1, dicit esse certam et communem sententiam. Tenet Ricardus eadem d., q.2, a.1¹²⁵; Scotus, q. unica¹²⁶; et alii citandi in conclusione sequenti.

Quidam iuniores videntur sibi demonstrare conclusionem ratione Gregorii, 2, d.34, q.unica, a.3¹²⁷, quia videlicet causa particularis indifferens est ad hanc modo actionem producendam potius quam illam; unde particularis causa nullam actionem produceret nisi Deus determinaret ad hanc numero volitionem furandi potius quam ad illam. CONFIRMANT, quia tempus non potest esse ratio determinans ut hic effectus potius producat quam ille, cum tempus sit indifferens ad mensurandam durationem huius et illius volitionis. Verum de hoc alias; nunc satis sit observare quod quamvis tempus ex se indifferens sit ut hos vel illos effectus mensuret, nihilominus effectus ex se determinati sunt non tam ut coexistant huic tempori quam ut fiant in hoc tempore et non in illo, et magis complete constituuntur naturales causae [f.379v] in genere agentium naturalium si determinatae sunt ex se ut hos effectus potius quam illos in hoc tempore et loco producant, quam si prorsus indifferentes sint; quin potius ut manifestum inconueniens erit igni tribuere virtutem activam sed tantum indifferenter ad producendum ignem vel aquam, et indigentem determinationem Dei ut causae particularis ad producendum ignem potius quam aquam. Ita probabilius videtur esse inconueniens dicere hunc ignem ex se esse indifferentem ut hos aut illos calores aut ignes hoc tempore et loco et in hanc materiam inducat. Denique, licet vera esset praedicta sententia iuniorum certior est nostra conclusio quam ut ab illa pendeat.

RESPONSIO a priori qua D. Thomas et D. Bonaventura utuntur, quia omne ens, quocumque modo sit, oportet derivari a primo

¹²⁵ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros sententiarum*, 2, d.37, a.1, q.1 ad 2: Brixiae 1591, p.451.

¹²⁶ JUAN DUNS ESCOTO, *Quaestiones in librum primum Sententiarum*, 2, d.37, q.1: ed. Vivès, Paris, t.13 (1893) p.352.

¹²⁷ GREGORIO ARIMINENSE OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 1, d.34, q.1, a.3: Berlin-N.Y. 1980, t.6, p.256.

ente, ut docet Dionysius, *De divinis nominibus*, c.5¹²⁸. Insuper omne quod est in actu, in quantum est in actu, oportet causari ab aliquo primo et purissimo actu qui nihil habeat potentiam, et propterea non egeat alterius adminiculo; sed actio peccati, in quantum actio est, est in actu; ergo est a primo actu, scilicet Deo.

Sed ut magis explicetur et confirmetur conclusio notandum est quod licet Deus nullo alio modo concurrat ad actionem positivam peccati nisi quatenus contulit virtutem elicivam talis operationis (quod concedit etiam Durandus) satis est ut Deus diceretur causa entitatis et actionis peccati quatenus actio est, nam voluntas, per se et non per accidens causa est actionis peccati in quantum actio est, quia ut sic bona est et intenta, ac proinde Deus qui causavit causam, scilicet voluntatem, erit causa effectus, scilicet volitionis, saltem remote et mediate.

Verumtamen sit 2^a CONCLUSIO: *Deus, praeter concursum quo produxit et conservat voluntatem habet immediatum concursum ad actionem peccati, ita ut licet conservaretur voluntas cum aliis omnibus requisitis ad operandum, sed deficiente Dei concursu immediato ad operationem peccati, non posset produci actio peccati.* Haec conclusio colligitur non obscure ex Hieronymo, Augustino, Anselmo, citatis contra Durandum, et ex D. Thoma hic, a.2, reddente rationem propter quam ad actionem peccati debeat Deus concurrere, videlicet quia ad omne ens debet immediate concurrere causa 1^a et universalis, quod satis innuit D. Thomas, 1 p., q.105, a.5¹²⁹.

Hanc conclusionem expresse docet, D. Bonaventura, 2, d.37, a.1, q.1 versus finem¹³⁰; Alexander, 1 p., q.9, mem.2 ad 2¹³¹; Albertus, 2, d.35, a.7¹³²; Scotus, d.1 et d.37,

¹²⁸ PSDIONISIO AREOPAGITA, *De divinis nominibus*, c.5: Lovaina 1566, fol.131b; PL 122 1148s.

¹²⁹ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.105, a.5: ed. leon. 5,475.

¹³⁰ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.1, q.1: Quaracchi, t.2, 1885, p.863.

¹³¹ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.1, inq.1, tract.2, sec.2, q.III, tit.2, Q.9, M.2 ad 2: Quaracchi 1924, p.66b.

¹³² ALBERTO MAGNO, *In secundum librum Sententiarum*, q.35, a.7: Paris,

q.unica¹³³; Gregorius Ariminensis, 1, d.45, q.1, conclusione 5¹³⁴; Gabriel, 2, d.37¹³⁵, et 1, q.2 et q.45¹³⁶; Andreas de Castronovo quem refert et sequitur Ruardus in a.7 De libero arbitrio, propositione 10 versus finem¹³⁷; Alricus, quem sequitur Dionysius, 1, d.37, q.1¹³⁸; Caietanus, 1 p., q.8, a.1¹³⁹; Sotus, 1 De natura et gratia, cap. 18¹⁴⁰, et 7 Physicorum, q.1, a.1, quidquid dicat Ferrariensis, 3 Contra Gentes, c.2¹⁴¹. [f.380]

Huius conclusionis 1^a RATIO a priori est eminentia et perfectio summa 1^{ae} causae, ut videlicet, sicut ens, quia est universalissimum omnium praedicatorum et primum est in imis visceribus cuiusque rei et cuiusque gradus immediatissime, ita etiam actio Dei, quia est universalissima in causando debet immediate attingere quemcumque gradum. Vide D. Thoma, 1 p., q.8, a.1¹⁴². CONFIRMATUR 1^o, quia entia creata non minus pendent a Deo in quantum agentia quam in quantum entia; sed non possunt esse sine Dei concursu immediato; ergo sine illo non

t.3, 1894, p.572ss.

¹³³ JUAN DUNS ESCOTO, *Quaestiones in librum primum Sententiarum*, 2, d.37, q.1: ed. Vivès, Paris, t.13 (1893) p.352.

¹³⁴ GREGORIO ARIMINENSE OESA, *Lectura super primum et secundum sententiarum*, 1, d.45, q.1, concl.5: Berlin 1984, t.3, p.490.

¹³⁵ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 1.2, d.37: Tubinga 1984, p.639.

¹³⁶ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 1.2, d.1, q.2: Tubinga 1984, p.18.

¹³⁷ RUARDO TAPPER, *Explicationis articulorum... circa dogmata ecclesiastica*, Articulus septimus *De libero arbitrio*: Amberes 1555, tomo 1, p.314.

¹³⁸ DIONISIO CARTUJANO, *In Sententiarum librum I*, d.37, q.1: Venecia 1584, p.532b.

¹³⁹ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 p., q.8, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.4, p.83.

¹⁴⁰ DOMINGO SOTO, *De natura et gratia libri III*, 1.1, c.18: Salamanca 1554, fol.68bs.

¹⁴¹ FRANCISCUS DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Comment. in Sum. contra Gentiles*, 1.3, c.2: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.14, p.7s.

¹⁴² TOMÁS AQ., *Summa Theologica*, 1 p., q.8, a.1: ed. leon. t.4, p.82.

possunt agere. CONFIRMATUR 2^o, quia sic verificatur perfectissima subordinatio et dependentia omnium causarum a 1^a causa, quam docuit Aristoteles, 2 *Metaphysicorum*, cap.2¹⁴³, et 7 *Physicorum*, c.1, et libro 8, c.5¹⁴⁴, et Plato, ut colligitur ex Damasceno, c.9 *Physicae*¹⁴⁵, et Simplicio, 2 *Physicae*, tex.29.

2^a RATIO ad revincendum efficacior: quia non solum causae inanimatae sed etiam homo caecus est in suis operibus quantum ad multa; frequenter enim non cognoscit naturam suae volitionis, utrum sit substantia vel accidens, utrum sit qualitas vel quantitas, utrum sit spiritualis vel corporalis, utrum honesta vel turpis, cuius speciei sit et quam differentiam numericam habeat, quomodo producenda sit; sed solum cognito obiecto caeteris ignoratis eliciunt volitionis actum plerique hominum; ergo opus est esse aliquam causam quae cognoscat intime et perfectissime quidquid ad actum nostrum sive bonum sive malum pertinet, quae causa immediate nobiscum concurrat et praecipue efficiat et dirigat actionem nostram. CONFIRMATUR, quia ut homo sine actuali concursu Dei immediato ad volitionem eliceret volitionem per virtutem acceptam et conservatam a Deo, necessarium esset accepisse a Deo cognitionem totius essentiae volitionis cuiusque producendae, imo ea cognitio deberet esse tam perfecta ut est ipsa cognitio Dei.

3^o FAVET, quod alias, minus bene intelligeretur in Deo potestas impediendi actum voluntatis nostrae manente voluntate et cognitione et non posito in voluntate actu contrario nec in appetito passione contraria. Nam voluntas qua Deus vellet non esse actum volitionis nostrae non videtur sufficere ut impediatur volitio si voluntas nostra in operando non pendet a Dei voluntate et concursu.

4^o, quia ex opposito sequitur, producto mundo per creationem a Deo, reliqua omnia producta esse a causis corporeis et ab

¹⁴³ ARISTOTELIS STAGIRITAE, *Metaphysicorum liber secundus*, c.2: Lyon 1549, col.1385s.

¹⁴⁴ ARISTOTELIS STAGIRITAE, *Physicae auscultationis liber septimus*, c.1: Lyon 1549, col.509;...*liber octavus*, c.5: id. col.528-531.

¹⁴⁵ JUAN DAMASCENO, *Physica*, c.9: Paris 1603, p.410.

eisdem conservari. Quod refutat Augustinus, libro 5 De Genesi ad litteram, cap.20¹⁴⁶. Quod si dicant necessarium esse res immediate conservari a Deo, oportet ut rationem reddant propter quam non sit etiam necessarium res immediate a Deo produci.

Unde sumitur 5^a RATIO: quia omnes creaturae semper pendent ab actuali Dei concursu conservante, ut certa fides docet et naturalis ratio demonstrat. De quo D. Thomas, 1 p., q.104, a.1¹⁴⁷, et fuse Suarez, tomo 1 Metaphysicae, d.21, sect.1¹⁴⁸, quia omnes res in fieri [f.380v] pendent ab eodem concursu immediato. Consequentia probatur, quia non est maior ratio propter quam creaturae pendeant a Deo postquam factae sunt non vero quando fiunt, praesertim illae res quae non conservantur naturaliter nisi ab eisdem causis a quibus fiunt. Huiusmodi est lux et actiones peccatorum de quibus loquimur, in quibus nulla potest fingi ratio propter quam magis indigeant divino concursu ut conserventur quam ut incipiant esse. CONFIRMATUR, quia actio causae particularis ens et creatum est; ergo quando existit eget divino concursu immediato non minus quam aliae res.

Quod dictum est de necessitate divini concursus ad actionem peccati producendam intelligendum est etiam ad illam conservandam, quia continua productione conservatur. De quo late D. Bonaventura, 2, d.37, a.1, q.2¹⁴⁹.

Ut hanc DIFFICULTATEM EXPLICEMUS desiderabit aliquis quae sit immediatio quam asserimus esse in divino concursu. RESPONDEO secundum modum loquendi communem, quamvis ille non satis accommodatus sit ad rem explicandam, et dico tria:

1^{um}, Deus concurrat ad actionem peccati immediate virtutis, id est, virtute non participata ab alia causa.

¹⁴⁶ AGUSTÍN, *De Genesi ad litteram libri duodecim*, 1.5, c.20: PL 34 535s.

¹⁴⁷ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.104, a.1: ed. leon. 5,463.

¹⁴⁸ FRANCISCO SUÁREZ, *Disputationes Metaphysicae*, Disp.XXI, sect.1, n.6: ed. Vivès, t.25, p.787.

¹⁴⁹ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.1, q.2: Quaracchi, t.2, 1885, p.865s.

2^{um}, Deus concurrit immediatione suppositi, id est, per concursum qui a Deo in effectum productum immediate procedit ita ut non derivetur per aliud suppositum intermedium.

3^{um}, quod sequitur ex 2^o, actio Dei ita immediate attingit effectum ut inter actionem Dei et effectum non mediet actio creaturae per quam Dei actio attingat effectum.

Sed haec latius explicare et probare non est praesentis instituti sed disputationis de causa efficiente in 2 Physica vel in metaphysica vel disputationis de actione Dei ad extra, 1 p., q.105, a.5¹⁵⁰, in quem locum reiicio plures alias

DIFFICULTATES quae circa divinum concursum occurrunt, quarum PRIMA est utrum Deus aliquem motum receptum in causa secunda influat denuo quando cum illa concurrit ad effectum, de qua ex professo Molina, 1 p., q.14, a.13, disp.5 et sequentibus usque ad 10¹⁵¹; Suarez, tomo 1 Metaphysicae, disp.22, praesertim sect.2¹⁵². Vide Zumel, hoc a.2, disp.3, concl.3¹⁵³, ubi inconsequenter loquitur ad ea quae dixerat in conclusione 2.

2^a DIFFICULTAS est quomodo concursus Dei universalis non est sufficiens ad producendum totum effectum sine causa secunda.

3^a, utrum Deus concurrat ad unam partem effectus et tamen non ad aliam ad quam concurrat sola causa secunda.

4^a, utrum actio 1^{ae} causae diversa sit ab actione causae secundae.

5^a, utrum actio causae secundae causetur ab actione 1^{ae} causae.

6^a, utrum actio causae 1^{ae} prior sit actione causae secundae.

7^a, quod sit subiectum recipiens divinum concursum.

¹⁵⁰ No sabemos de este comentario.

¹⁵¹ LUIS DE MOLINA, *Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione*, CONCORDIA, disp.5-10: Oña-Madrid 1953, pp.27-55.

¹⁵² FRANCISCO SUÁREZ, *Disputationes metaphysicae*, d.22, sect.2: ed Vivès 1866, t.25, p.802-809,

¹⁵³ FRANCISCO ZUMEL, *In Primam Secundae Sti. Thomae Comment.*, q.79, a.2, disp.3, concl.3: Salamanca 1594, tomo 1, p.487.

Quae omnes difficultates fere colligi poterunt ex infra dicendis, praesertim dubio 6. Sed qui voluerit explicari haec luculentius legat Doctores citatos. [f.381]

CONTRA praedictam decisionem militant ea omnia argumenta quae solvenda sunt in sequentibus dubiis, peculiariter autem hoc, quia omnis actio quae procedit a voluntate bona in genere moris est etiam bona in genere moris; sed omnis actio Dei ad extra procedit a voluntate Dei bona in genere moris; ergo omnis actio ad extra procedens a Deo est bona in genere moris; sed actus peccati est malus in genere moris; ergo non procedit a Deo. CONFIRMATUR, quia omnia quae fiunt propter Deum bona sunt in genere moris; sed Deus quaecumque facit facit propter se; ergo quaecumque Deus facit bona sunt in genere moris.

Huic argumento DUAS SOLUTIONES adhibet D. Bonaventura, 2, d.37, a.1, q.1 ad 2 et 3¹⁵⁴, cuius secunda solutio magis placet et potest hac ratione accommodari, ut actio quae ad extra procedit a bona voluntate Dei sit bona in genere moris praecisse in quantum est a Deo ut causa universali et praeterea non sit bona in genere moris intrinsece sed denominatione extrinseca a bona voluntate Dei quoniam actionibus ad extra non convenit bonitas aut malitia moralis nisi denominatione extrinseca; at vero in eodem effectum coniuncta est alia actio creatae voluntatis quae essentialiter et intrinsece mala est in genere moris quando est voluntas peccandi.

Dubitatur 3

Utrum Deus sit auctor et causa peccati

Huius quaestionis difficultas oritur ex duarum praecedentium congressu, et magis explicabitur in dubiis sequentibus. Nunc satis sit veritatem statuere.

CONCLUSIO de fide: *licet Deus concurrat ad actum peccati non est auctor vel causa peccati.*

¹⁵⁴ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.1, q.1 ad 2 et 3: Quaracchi, t.2, 1885, p.863a.

PROBATUR ex omnibus testimoniis Sacrae Scripturae adductis in dubio 1, et auctoritate Patrum qui in eiusdem dubii conclusione 1 aperte testantur hanc etiam conclusionem. Breviter PROBATUR 1º, quia quidquid Deus facit bonum est, Genesi 1, et, quod inde sequitur, *nihil odio habet eorum quae fecit*, Sap 14 [5]; ergo Deus non facit peccatum nec illius est auctor vel causa.

2º PROBATUR, quia Sacra Scriptura peccatum et eius effectum tribuit homini ut causae, et removet a Deo, ut Os 13 [9], *perditio tua ex te*, et Sap 1 [13], *Deus mortem non fecit*, et infra [16], *impii manibus suis accersierunt illam*. De peccato sub nomine mortis disputat a medio illud caput, ex professo ostendens ab homine et non a Deo provenire. Vide praecipue verba ex Ioanne 8, 1 Ioanne 3, adducta in dubio 1, unde ortum habuit frequens modum loquendi Sacrae Scripturae exprobrantis nobis peccata per pronomina *tua* vel *sua*, ut [f.381v] *abominationes tuas, peccata tua*.

3º PROBATUR, quia, ut recte dixit Fulgentius apud D. Thoma hic, a.3, Deus non est auctor eius cuius est ultor; hoc enim continet repugnantiam; sed ultor est peccati, ut pleraque exempla Sacrae Scripturae ostendunt; ergo non est auctor peccati. Vide similes alias auctoritates Glossae apud Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.2¹⁵⁵.

4. His verbis probat Augustinus, 3 De libero arbitrio, c.13¹⁵⁶: peccatum non potest Deo tribui, nam dum peccatum vituperatur, auctor naturae laudatur; propterea vero peccatum malum est quia a Deo avertit; propterea autem hoc vituperabile est, quia Deus summum bonum est, *quid vero inveniri potest in nostris peccatis unde ille vituperetur cum vituperatio peccatorum nostrorum nulla sit nisi ipse laudetur*.

5º, quia peccare nihil aliud est quam peccatum facere; ostensum autem est in dubio 1º, Deum non posse peccare; ergo non potest facere peccatum ac proinde non potest esse causa peccati. CONFIRMATUR, quoniam Deus non consulit nec movet ad

¹⁵⁵ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.2, inq.1, tract.1, q.94, M.3, a.6, § 2: Quaracchi 1930, t.III, p.15.

¹⁵⁶ AUGUSTÍN, *De libero arbitrio*, 1.3, c.13: CCL 29 297s; PL 32 1290.

peccandum, ut ostensum est dubio 1, nec consentit aut cooperatur peccato ut peccatum est, nam licet concurrat cum voluntate nostra, concurrat tamen cum illa praecisse ut efficiens est, non ut deficiens, ac proinde non peccat; imo voluntas nostra non alia ratione peccat nisi quatenus deficit a concursu et ordine primi agentis, ut bene D. Thomas hic, a.2 corpore, et explicabitur in dubio sequenti.

6. Quia Dei concursus, quod est ex parte praeparationis divinae voluntatis indifferens est ad bonum et malum actum, et ex vi praeparationis et voluntatis divinae nulla malitia contingit actui, et aliunde non tenetur Deus nec secundum rectam rationem expedit non offerri homini illum concursus ne illo male utatur, ut ostendit D. Dionysius capite 4 De divinis nominibus, fine¹⁵⁷; Damascenus, 2 Fidei, c.29¹⁵⁸; D. Augustinus, 3 De libero arbitrio, c.5 et 9¹⁵⁹. Videlicet, ut permittatur liberum arbitrium operari secundum suam naturam, et propter maxima bona quae Deus ex peccatis elicit, de quibus in materia de providentia et de praedestinatione¹⁶⁰.

7. Quia homo aliquo modo cooperatur quandoque actioni malae alterius hominis et tamen ipse non peccat si non tenetur alterius peccatum impedire et ipsius concursus indifferens est ad bonum et malum et ab eo dirigitur in bonum finem, ut si aliquis vendat meretricibus ornamenta quibus illae ad malum finem utuntur, sed qui vendit non intendit malum finem sed tantum intendit suas merces distrahere quibus ad bonum finem emptores uti potuissent. [f.382]

Ex his constat falsam esse sententiam Gabrielis, 2, d.37, q.unica, a.3, dubio 1¹⁶¹, et Maioris in 1, d.42, q.unica¹⁶²,

¹⁵⁷ PS-DIONYSIO AREOPAGITA, *De divinis nominibus*, c.4: Lovaina 1566, fol.130s

¹⁵⁸ JUAN DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, l.2, c.29: Basilea 1575, p.148ss; PG 94 970.

¹⁵⁹ AUGUSTIN, *3 De libero arbitrio*, c.5: CCL 29 283s; PL 32 1278.

¹⁶⁰ DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii ac disputationes ad q.XXII et bonam partem q.XXIII ex prima parte Sti. Thomae*: Lyon 1631, p.1; p.193.

¹⁶¹ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, l.2, d.37: Tubinga 1984, p.642ss.

dicentium, secundum rigorem logicae veram esse hanc propositionem: *Deus peccatum facit*, falsam tamen esse: *Deus facit peccatum*, iuxta regulam de varianda appellatione quando terminus appellans praeponitur vel postponitur ut in illis propositionibus *papam vidi, vidi papam*; et licet magni momenti sit non in logica solum sed etiam in quavis scientia et praesertim theologia observare vim appellationis, nihilominus nihil refert anteponi aut postponi praedicatum ut appellet supra formale aut supra materiale sive anteponantur sive postponantur, alia vero ambigua sint et distinguenda.

Haec, licet recte animadverterit Occam, 1, d.47, q.unica¹⁶³, et Holcot, in 2, q.1, a.3¹⁶⁴; caeterum valde absurde dicunt in rigore sermonis concedendam esse utramque propositionem, scilicet *Deus peccatum facit*, *Deus facit peccatum*, quia Deus vere efficit quidquid est in peccato, addunt tamen negandas esse easdem propositiones, ne videamur sentire cum haereticis. Verum hi Doctores in hac sententia parum distant ab errore haereticorum refutato in hoc et in dubio 1. Denique haec verba facere peccatum semper reddunt sensum formalem in Sacra Scriptura et Patribus.

Dubitatur 4°

**Quomodo possunt haec duo convenire, videlicet
Deum concurrere ad actionem peccati
et Deum non esse auctorem peccati**

Ut hac difficultate se expediant plures dicendi modos invenere Doctores ex quibus prius referam quos existimo a veritate discedere, postea reliquos qui eandem veritatem solida doctrina quamvis dissimili explicant, quorum aliqui a iunioribus ut a Medina et Zumel, hoc articulo, disp.2, explodantur quasi pugnantes inter se,

¹⁶² JUAN MAIOR, *In primum Sententiarum*, d.42, q.1: Paris 1519, fol.99.

¹⁶³ GUILLERMO OCKHAM, *In librum primum Sententiarum ordinatio*, d.47, q.1: N.Y. 1979, p.681.

¹⁶⁴ ROBERTO HOLKOT, *Super Sententias libri secundi Quaestio 1*, a.3: Lyon 1518, s.f.

verumtamen si bene intelligantur potius erunt partes bene cohaerentes integrae et perfectae solutionis.

PRIMUS MODUS asserit Deum propterea non esse causam peccati quia malitia non sequitur necessario ex actu positivo quem Deus causat, sed actus positivus potest esse sine malitia. Huius sententiae praecipuus auctor est Ricardus, 2, d.37, a.3, q.1 ad 2¹⁶⁵, ubi D. Bonaventura [f.382v] videtur idem sentire, a.2, q. ultima, corpore¹⁶⁶; Conradus, 1 2, q.79, a.2 ad 3¹⁶⁷; Capraeolus, 2, d.37¹⁶⁸, quem sequitur Ferrariensis, 3 contra gentes, cap.71, fine¹⁶⁹; Valentia, tomo 2, disp.6, q.9, principio¹⁷⁰.

Haec sententia potest duplici modo intelligi:

Primo, ut omnis actio peccati sit eiusmodi ut eadem numero possit existere in homine sine malitia, aut certe alia actio eiusdem speciei. Et hoc falsum esse probatum est in q.19, a.1, et q.71, a.6, dubio 1¹⁷¹. Sed ut ea quae dicturi sumus procul sint a controversia et ambiguitate notandum est in hac re nihil curandum esse de externis quibusdam actionibus peccatorum quae non sunt ab intrinseco turpes sed sola denominatione extrinseca; agimus enim tantum de actu voluntatis per quem volitum est aliquod obiectum turpe; et quamvis adversarii sive probabiliter sive contentiose asserant in aliquibus peccatis nullam esse volitionem essentialiter monstruosam nihilominus negare non possumus

¹⁶⁵ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros sententiarum*, 2, d.37, a.3, q.1 ad 2: Brixiae 1591, p.454.

¹⁶⁶ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.2, q.3 c: Quaracchi, t.2, 1885, p.874.

¹⁶⁷ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.79, a.2 ad 3: Venecia 1589, p.624.

¹⁶⁸ JUAN CAPRAEOLUS, *Defensiones theologicae d.Thomae Aquinatis*, 2, d.37, q.unica: Turonibus, t.4, 1903, p.426.

¹⁶⁹ F. FERRARIENSE, OP., *Divi Thomae Aquinatis Doctoris Angelici, Summa catholicae fidei Contra Gentiles cum commentariis...*, c.71: ed. leon.13, p.209.

¹⁷⁰ GREG. DE VALENTIA, *Commentariorum Theologicorum tomus secundus complectens omnia I^{ae} 2^{ae} Divi Thomae...*, Disput. VI Gener., q.9, punct.1: t.II, Lyon 1603, col.597...

¹⁷¹ DIEGO RUIZ DE MONTROYA, *De natura peccati actualis*, Comentario a la 1.2, q.71, a.6, dub.1: Arch.Teol.Gran. 2 (1939) 236.

aliquas volitiones esse essentialiter monstruosas, ut odium Dei aut volitio explicita et directa vindicandi se a Deo per blasphemiam. De his ergo volitionibus quae citra controversiam sunt essentialiter turpes agimus in praesenti quaestione reliquis praetermissis.

Secundus intellectus eiusdem sententiae quem magis innuunt citati thomistae hic est: quamvis odium Dei et aliae volitiones sint essentialiter monstruosae et ab his necessario resultet privatio honestatis et malitia si illae volitiones producantur ab homine et in illo recipiantur, caeterum, si illae volitiones a solo Deo producerentur extra subiectum vel ponerentur in lapide ab illis non procederet malitia et privatio honestatis.

In hac sententia involvuntur multa quae non probo: 1° enim, aliqui ex his doctoribus existimant possibles esse similes actiones voluntatis produci a Deo solum et extra subiectum vel in subiecto corporeo, quod falsum esse existimo, sed ut alienum a praesenti quaestione praetermitto.

2°, data hypothesi quando actus odii Dei produceretur a Deo extra subiectum vel in lapide, quamvis Deus non diceretur se ipsum odisse, nihilominus vere esset auctor rei essentialiter turpis, a qua necessario resultat privatio debiti amoris erga Deum quamvis illa privatio nullae creaturae imputetur; quare hoc paulo minus contrarium est bonitati divinae quam errorem imprimere in nostro intellectu vel odium Dei in voluntate nostra sine ulla libertate et concursu nostro, de quo dicemus in dubio 6.

Sed RESPONDENT hi doctores: malitia illius actionis et privatio rectitudinis non necessario sequitur ex illa entitate actus ut est a Deo sed ut est ab homine, et propterea si a solo Deo [f.383] produceretur non haberet malitiam. — Haec solutio, quantum ad 1^{am} partem vera est, sed quantum ad 2^{am}, falsa; quia propterea volitio, ut est a Deo non est radix malitiae, quia Deus non determinat ut volitio sit cum malitia; si autem Deus se solo illam produceret sive in subiecto sive extra, Deus determinaret ut illa volitio esset talis speciei et cum tali realitate particulari ex qua necessario resultat malitia, ac proinde tunc Deus esset auctor peccati quantum ad turpitudinem, seclusa imputabilitate respectu volun-

tatis creatae. Quae omnia magis constabunt ex infra dicendis, praesertim in dubio 6.

2^{us} MODUS DICENDI est Caietani hoc a.1¹⁷², dicentis Deum esse causam mali moralis quia Deus vere efficit differentiam essentialem actus, quando Caietanus existimat esse malitiam moralem sed negat Deum esse causam peccati quia peccatum, praeter malitiam moralem continet aversionem ac proinde privativam deformitatem.

Haec sententia communiter reiicitur, 1^o, quia licet differentia actus voluntatis in peccato sit positive monstruosa, verumtamen ex ratione positivi praevisa privatione non est dicenda malum morale nisi per attributionem ad privationem cuius radix est, quia videlicet privatio primario et ratione sui est malum morale, supra, q.71, a.6, dubio 1¹⁷³; ergo qui non causat actum determinando ut ille sit radix privationis non est causa mali moralis.

2^o, quia Sacra Scriptura et Patres constanter asserunt Deum non esse causam malae voluntatis ut mala est, quod concedendum esset a Caietano qui concedit Deum esse causam mali moralis.

3^o, quia malitia moralis repugnat bonitati morali et rectae rationi; ergo non potest a Deo causari. In hanc sententiam fusius invehitur Zumel, d.2, concl.6¹⁷⁴.

3^o, venio ad veras solutiones, inter quas 1^a dicitur Deum non moraliter sed physice concurrere ad actum peccati et propterea non esse dicendum auctorem peccati quoniam effectus debet tribui causae proportionatae, unde cum peccatum sit effectus moralis non est tribuendus causae physicae sed morali; Deum autem non esse causam moralem probatur quia non consulit nec praecipit actionem peccati. Ita docet Cano, 2 De locis, c.4, § Octavus

¹⁷² TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.79, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. 1.4, p.78.

¹⁷³ DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *De natura peccati actualis*, Comentario a la 1.2, q.71, a.6, dub.1: Arch.Teol.Gran. 2(1939) 236.

¹⁷⁴ FRANCISCO ZUMEL, *In Primam Secundae Sti. Thomae Comment.*, q.79, a.2, disp.2, concl.6: Salamanca 1594, tomo 1, p.476.

*autem*¹⁷⁵; Soto, 1 De natura et gratia, c.18, fine¹⁷⁶; Vega, 2 In Tridentinum, c.15¹⁷⁷; Aragon, 2 2, q.1, a.3, dub.1 ad 2¹⁷⁸; Zumel, hoc a.2, disp.2, conclusione 4¹⁷⁹. Et licet non tam perspicuis verbis, re tamen in eandem sententiam veniunt D. Thomas hic, a.2 ad 2; D. Bonaventura, 2, d.37, a.2, q.2 ad 2 et 3¹⁸⁰; Altissiodorensis, libro 2, tract.11, q.ultima prope finem¹⁸¹; et clarius Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.6, § 2, fine¹⁸². [f.383v]

Hanc sententiam Medina et alii iuniores REICIUNT, 1º, quia Deus ad actum peccati concurrat per intellectum et volitionem liberam; ergo concurrat ut causa moralis. CONFIRMATUR, quia non solum causa consulens aut praecipiens est causa moralis sed etiam quaelibet causa libere operans.

2º, quia haec sententia ita Deum liberat a labe causandi moraliter peccatum ut Deum asserat esse causam naturalem peccati, quod est absurdissimum.

Sed quia immerito refutatur haec sententia, RESPONDEO ad argumenta proposita. Ad 1^{um} cum confirmatione, RESPONDEO: Deus est causa moralis concurrenti ad volitionem ut sic abstrahendo ab hoc quod sit bona vel mala volitio; nihilominus, ex suppositione liberi decreti concurrenti ad volitionem

¹⁷⁵ MELCHOR CANO, EPISC. CANAR., *Delocis theologicis libri duodecim*, 1.2, c.4, § Octavum autem: Salamanca, 1563, p.18.

¹⁷⁶ DOMINGO SOTO, *De natura et gratia libri III*, 1.1, c.18: Salamanca 1554, fol.68bs.

¹⁷⁷ Cf. VEGA, ANDRÉS, *Tridentini Decreta de Iustificatione... libris XV distincta*, 1.14 in cap.15, c.3: Alcalá 1564, p.540s.

¹⁷⁸ FR. PEDRO DE ARAGÓN, *In 2am 2ae Divi Thomae*: Salamanca 1584, p.22.

¹⁷⁹ FRANCISCO ZUMEL, *In Primam Secundae Sti. Thomae Comment.*, q.79, a.2, disp.2, concl.4: Salamanca 1594, tomo 1, p.474.

¹⁸⁰ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.2, q.2 ad 2 et 3: Quaracchi, t.2, 1885, p.870.

¹⁸¹ GUILLERMO ALTISSIODORENSE, *Summa Aurea*, 1.2, tract.11, c.3 (*Unde malum sit*), q.4: Spicilegium Bonaventurianum XVII, p.350.

¹⁸² ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.2, inq.1, tract.1, q.94, M.3, a.6, c.2: Quaracchi 1930, t.III, p.15.

indifferentem, Deus non est causa moralis huius volitionis in particulari quae mala est, siquidem Deus non vult suum concursum determinari ad volitionem malam, ut dicitur dubio 6 et 7, sed divinus concursus determinatur a voluntate creata perinde ac determinaretur concursus causae quae necessario concurreret. Itaque in rigore metaphysico distinguendum est et dicendum Deum esse causam moralem concursus indifferentis ad omnem actionem voluntatis, sed non esse causam moralem determinando suum concursum ad peccatum et propterea non est causa moralis peccati.

Ad 2^{um}, RESPONDEO negando antecedens. Immo contradictionem implicat aliquem esse causam naturalem peccati ut peccatum est, quia causa peccati ut peccatum est peccat, et qui peccat non est causa naturalis sed moralis. Quod confirmatur, quia peccatum ut peccatum importat de formali privationem cuius nulla est causa physica proprie sed solum causa moralis. Videlicet quae in subiecto impedit formam quam actus deberet habere, quam formam non impedit Deus sed voluntas creata.

Quare, ex praedicta sententia iam explicata sequitur Deum esse causam quasi naturalem mali secundum rationem entis et actus, sed secundum rationem mali et peccati nec naturalem nec moralem causam esse.

Sed URGEBIS: licet Deus non determinet suum concursum ad volitionem malam, ut ad odium Dei, nihilominus posset libere substrahere suum concursum, et tamen libere concurrat ad volitionem creatam sciens illam essentialiter esse radicem malitiae; ergo Deus est causa moralis cui imputandum sit peccatum. RESPONDEO ex D. Bonaventura, 2, d.37, a.2, q.1 ad 2 et 3, et a.1, q.1 ad 1¹⁸³, negando consequentiam, quia Deus non tenetur non concurrere ad illam volitionem, immo, iure suo utitur et munere Primae et universalissimae Causae fungitur quando ita concurrat. [f.384]

¹⁸³ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.2, q.1 ad 2 et 3; a.1, q.1 ad 1: Quaracchi, t.2, 1885, p.870a; 863a.

Hinc D. Thomas, a.2 ad 2, et Scotus, 2, d.27, q. unica, § *Ad argumenta quartae quaestionis, Ad secundum*¹⁸⁴, reddunt rationem propter quam homo peccat si eliciat actum cum quo coniuncta est malitia, Deus vero non peccat quamvis ad eundem actum concurrat, quia videlicet homo tenetur in suis actionibus constituere rectitudinem, Deus vero non tenetur rectitudinem constituere in actionibus hominis.

Quod explicatur magis ex doctrina saepius repetita, quoniam non censemur velle interpretative quidquid ex nostris actionibus sequitur, praesertim aliorum culpa, nisi tenemur illud vitare, ut constat in scandalo passivo.

4. D. Thomas, hoc a.2, fine, aperte ait propterea Deum non esse causam peccati quia licet sit causa illius actus qui habet defectum, sed tamen non est causa huius quod actus sit cum defectu, id est non determinat aut inclinatur ad hoc ut sit cum defectu et per Deum non stat quominus voluntas creata recte operetur. Explicatur magis, quia si quaeramus rationem propter quam ille actus sit defectuosus dicendum erit quia homo qui tenebatur per illum se conformare rectae rationi et Deo, noluit se conformare, et non erit ratio quia Deus voluit illum actum non confirmari rationi. CONFIRMAT D. Thomas exemplo claudicationis, nam quidquid ambulationis habet claudicatio reducitur in virtutem motivam at vero defectus illius reducitur non in virtutem motivam sed in curvitatem vel infirmitatem tibiae. Eandem solutionem latius prosequitur D. Thomas, q.3 De malo, a.2¹⁸⁵; D. Bonaventura, 2, d.37, a.2 ad duo penultima argumenta¹⁸⁶; Scotus optime, eadem distinctione, q.unica, § *Ad solutionem istorum obiectorum*¹⁸⁷; Capraeolus, 2, d.35, q.unica a.3 ad sextum argumentum Gregorii¹⁸⁸; Conradus, his articulis 1 et 2¹⁸⁹;

¹⁸⁴ JUAN DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, d.37, q.2: ed. Vivès, Paris, t.13 (1893) p.387b.

¹⁸⁵ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.3, a.2: ed. Leon. 23,69s.

¹⁸⁶ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.2 ad 4 et 4: Quaracchi, t.2, 1885, p.870b.

¹⁸⁷ JUAN DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, d.37, q.2: ed. Vivès, Paris, t.13 (1893) p.378b.

¹⁸⁸ JUAN CAPRAEOLUS, *Defensiones theologicae d.Thomae Aquinatis*, 2,

Ferrariensis, 3 Contra Gentes, c.71¹⁹⁰; Bellarminus, tomo 3 Controversia De amissione Gratiae, libro 2, c.5 et c.18¹⁹¹. Hanc solutionem insufficientem esse et aliquid falsitatis continere intendit Zumel, disp.2, conclusione 3, et disp.3, concl.3¹⁹²; sed illius obiectiones facile erit solvere ex his quae dicemus infra, praesertim dubio 6 et 7.

5. Eandem sententiam magis explicat et confirmat ratio quam tangit D. Bonaventura, 2, d.37, a.2, q.1, fine¹⁹³; Albertus, 2 p., tract.22, q.134¹⁹⁴; Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.6, § 3 corpore¹⁹⁵; Conradus¹⁹⁶ et Caietanus, hoc a.1¹⁹⁷; Capraeolus, 2, d.37, q.unica¹⁹⁸; Valentia, tomo 2, disp.6, q.9, puncto 1 prope finem¹⁹⁹; videlicet quia privatio quae est malitia peccati non consequitur ex actu quatenus est a causa efficiente et perfecta sed quatenus est a causa deficiente et imperfecta, ut ostensum est

d.35, q.unica a.3 ad sextum argumentum Gregorii: Turonibus, t.4, 1903, p.415.

¹⁸⁹ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.79, a.1,2: Venecia 1589, p.619-624.

¹⁹⁰ FRANCISCO DE SYLVESTRIS FERRARIENSE, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Th. Aq.*, 3, q.71: ed.leon. 14 211ss.

¹⁹¹ BELARMINO, *Controversia de amissione gratiae*, l.2, c.5, c.18: Ed. Vivès t.5, p.259, 297.

¹⁹² FRANCISCO ZUMEL, *In Primam Secundae Sti. Thomae Comment.*, q.79, a.2, disp.2, concl.3; disp.3, concl.3: Salamanca 1594, tomo 1, p.472; p.487.

¹⁹³ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.2, q.1 ad 6: Quaracchi, t.2, 1885, p.870b.

¹⁹⁴ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologica*, 2 p., trac.22, q.134: Paris t.33, 1895, p.452s.

¹⁹⁵ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.2, inq.1, tract.1, q.94, M.3, a.6, § 3, c.2: Quaracchi 1930, t.III, p.18.

¹⁹⁶ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.79, a.1: Venecia 1589, p.620.

¹⁹⁷ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 p., q.8, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.4, p.78.

¹⁹⁸ JUAN CAPRÉOLO, *Defensiones theologicae d. Thomae Aquinatis*, 2, d.37, q.unica: Turonibus, t.4, 1903, p.425.

¹⁹⁹ GREG. DE VALENTIA, 1^a 2^{ae}, Disput. VI Gener., q.9, punct. 1: t.II, Lyon 1603, col.605s.

supra, q.71, a.2, dubio 2²⁰⁰; sed Deus nullo modo est causa deficiens nec ex parte virtutis operativae quam perfectissimam habet nec ex parte operationis quia quicumque sapientissimus et potentissimus ita deberet operari ad gubernationem universi sicut Deus in illa actione operatur. Hanc rationem videtur perspicue tangere D. Dionysius, cap.4 De divinis nominibus prope finem, praesertim in illis verbis *feri malum non est secundum virtutem sed propter infirmitatem et demonibus, quod quidem sunt, ex bono est et bonum; malum autem est ex ipsis, ex casu a propriis bonis*²⁰¹. Vide D. Thoma ibi, lectione 23²⁰².

Actus peccati potest considerari in facto esse, ut quidam effectus est, quo sensu deinde actum voluntatis appellabimus qualitatem ut vere est qualitas. Potest etiam considerari ratio actionis videlicet dependentia huius qualitatis ab agente. Rursum haec qualitas per diversam rationem actionis pendet a nostra voluntate et a Deo, nam actio qua pendet a Deo est essentialiter actio causae universalis et continet modum concurrendi non vitalem; at vero actio qua pendet a nostra voluntate est actio causae particularis et modus concurrendi illius est vitalis; sicut ergo illa qualitas respectu voluntatis nostrae est effectus causae particularis, quia talem dependentiam habet respectu illius et non respectu Dei, ita etiam respectu nostrae voluntatis illa qualitas habet rationem propter quam sit mala et peccatum, non vero respectu Dei ut respectu agentis, quia malitia huius qualitatis consequitur ex dependentia a causa deficiente quae tenebatur vitare malitiam et non vitat, et non consequitur ex dependentia ab universali et perfectissima causa, quae non tenetur impedire

²⁰⁰ DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *De natura peccati actualis*, Comentario a la 1.2, q.71, a.1, dub.2: Arch.Teol.Gran. 49 (1986) 278.

²⁰¹ D. DIONYSII AREOPAGITAE OPERA OMNIA... c.4: Coloniae 1557, fol.130v: «*nec quod malum fit hoc a potestate proficiscitur sed ab imbecillitate. Ac daemonibus id quidem quod sunt et ex bono est et bonum; malum autem quod eis ex prolapsione a propriis bonis contigit*»; PL 122 1146A.

²⁰² TOMÁS AQ., *In librum beati Dionysii de Divinis Nominibus Commentaria*, c.5, lectio 23: ed. Vivès, 29, p.492ss.

suavem modum operandi inferiorum causarum. CONFIRMATUR, quia ratio peccati non solum dicit qualitatem illam quae est actus sed praecipue et formaliter provenit a ratione actionis per quam illa qualitas producitur. Huc spectat sententia Medinae hic, col. 10, § *Ultimo observandum*²⁰³, et Zumel, disp.2, concl. 3²⁰⁴.

Sed URGEBIS: etiam illa actio voluntatis formaliter ut actio et ut dependentia est ens realeest; ergo etiam ut sic est a Deo; ergo Deus per illam actionem denominabitur causans peccatum. RESPONDEO distinguendo antecedens, nam actio voluntatis nostrae, formaliter ut actio non comparatur ad Deum quasi actio sed quasi effectus Dei productus per actionem Dei universalem qua cum causa secunda produxit qualitatem illam quae est peccatum; quare Deus ab actione voluntatis nostrae non denominatur agens, quia nullus denominatur agens ab effectu sed a sua actione per quam produxit effectum; et est manifestum exemplum in actione causae particularis cuiusque, quae actio producitur a Deo sicut quodlibet aliunde ens creatum; si tamen ita comparatur ad Deum ut ab illa Deus dicatur agens actione causae particularis. Eadem est solutio Scoti, 2, d.37, q.unica, § *Ad argumenta quaestionis quartae*²⁰⁵. [f.385]

Ex dictis oritur DUBIUM. Quia si rationes adductae solidae sunt ad probandum Deum non esse auctorem peccati, videntur Sancti et plerique Scholasticorum innixi fuisse fundamento minus solido dum probant peccatum esse nihil quia alias Deus esset auctor peccati. Sequelam probo quia praecedentes rationes non pendent ex eo quod peccatum nihil sit. RESPONDEO: quin potius maxime pendent, quoniam propterea peccatum est defectus et a causa deficiente ut deficiente, et propterea Deus non determinat ad illum nec est causa moralis respectu actus positivi, quia ille adiunctam habet privationem debitae rectitudinis; nam divina potentia et

²⁰³ BARTHOLOMÉ DE MEDINA, OP, *Expositio in Primam Secundae.. D.Thomae Aquinatis*, q.79, a.2: Vencia 1602, 420a.

²⁰⁴ FRANCISCO ZUMEL, *In Primam Secundae Sti. Thomae Comment.*, q.79, a.2, disp.2, concl.3: Salamanca 1594, tomo 1, p.472.

²⁰⁵ JUAN DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, d.37, q.2: ed. Vivès, Paris, t.13 (1893) p.387a.

voluntas ex se feruntur ad ens et ad bonum ut ad proprium obiectum et quod ex se est actum repletur entitate et bonitate nisi impediretur a voluntate creata, quod latius explicatum est supra, q.71, a.6, dubio 1, sect.3, in 5^a ratione conclusionis²⁰⁶.

QUAERES utrum Deus sit auctor positivae monstruositatis et conversionis ad obiectum malum in quantum est monstruositas et conversio ad malum. Ratio dubitandi est quia conversio ad malum obiectum ut sic ens est et actus; ergo Deus concurrit ad illum. Sed DICENDUM est absolute Deum non esse auctorem positivae monstruositatis et conversionis ad obiectum malum. Et ratio est quia qui affirmaret auctorem esse illius vel expresse vel tacite diceret Deum determinare ad talem conversionem et monstruositatem. Si autem PETAS utrum saltem sit concedendum Deum concurrere ad conversionem ad malum obiectum et ad positivam monstruositatem. RESPONDEO esse concedendum cum explicatione, ut videlicet Deus concurrat ad positivam monstruositatem et ad conversionem in obiectum malum ita ut ratio concurrenti sit quia conversio est ens et actus, non quia est conversio ad malum.

Dubitatur 5

Ad varia argumenta solutio quo pacto ex praecedenti decisione deducenda sit

ARGUMENTUM 1. Deus efficit in homine totum actum peccati; ergo est causa peccati. PROBATUR consequentia, quia vel ratio peccati consistit in differentia positiva, sicque cum Deus efficiat totum positivum erit etiam causa peccati, vel ratio peccati consistit in privatione et nihilominus eadem ratione Deus erit causa privationis, quia nullo alio modo aliquid est causa privationis nisi quatenus causat formam a qua necessario sequitur privatio, sicut ignis efficit privationem frigoris causando calorem a quo resultat privatio frigoris. CONFIRMATUR ex D.Thoma, a.1, argumento 2, quia homo non aliter est causa peccati nisi quatenus causat entitatem positivam a qua necessario resultat privatio. [f.385v]

²⁰⁶ *Archivo Teológico Granadino*, 2 (1939) 250-253.

RESPONDEO negando primam consequentiam, et ad eius probationem, RESPONDEO rationem peccati consistere in privatione et illam necessario consequi ex actu quem Deus simul cum nostra voluntate causat. Insuper illam privationem aliquo modo Deus causat sed improprie loquendo, ut notat Caietanus hic²⁰⁷, quia Deus causat entitatem a qua resultat privatio, verumtamen absolute et proprie Deus non causat illam privationem, quia non quaecumque causa formae causat absolute privationem ex forma resultantem, sed ea tantum causa quae determinat ad producendam formam secundum eam rationem secundum quam ex illa resultat privatio, sicut ignis est causa determinata ad producendum calorem secundum eam rationem quae excludit frigus; et voluntas creata se determinat ad producendam talem differentiam actionis quae honestatem excludit, Deus autem non determinat ad hoc, ut explicatum est in dubio praecedenti, praesertim n^o 4.

2^{UM} ARGUMENTUM: nam quando Deus causat cum voluntate creata actum odii Dei, Deus causat actum prohibitum a Deo; ergo Deus peccat vel saltem suae prohibitioni contrarius est. RESPONDEO ex D. Bonaventura, 2, d.37, a.1, q.1 ad 1²⁰⁸, illam actionem non causari a Deo sub ea ratione qua prohibita est sed tantum a voluntate creata, quia non est prohibitum causare illam actionem concursu generalis causae, sed tantum est prohibitum causare illam concursu causae particularis determinandi ad illam.

3^{UM} ARGUMENTUM: qui est causa causae est causa effectus causati ab illa causa; sed Deus est causa potentiae peccandi, videlicet liberi arbitrii; ergo Deus est causa peccati. CONFIRMATUR, quia in moralibus qui praevidet effectum in causa est moraliter causa effectus si producit causam; sed Deus praevidit peccata in libero arbitrio et producit liberum arbitrium; ergo est causa peccatorum. RESPONDET D. Thomas, hic, a.1 ad 3, effectus causae mediae procedens ab ea secundum quod subditur ordini 1^{ae}

²⁰⁷ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.79, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.4, p.78.

²⁰⁸ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.1, q.1 ad 1: Quaracchi, t.2, 1885, p.863a.

causae reducitur in primam causam; sed effectus procedens a causa media secundum quod egreditur ordinem primae causae non reducitur in primam causam, nam si minister aliquid contra domini praeceptum efficiat abutens potestae a domino accepta illud non reducitur in dominum sed in ministrum.

Haec solutio satis est quoad omnia peccata, quia voluntas non creatur determinata ad peccatum sed ex se indifferens et magis propensa ad bonum. Verumtamen quod attinet ad materiam antecedentis dicendum est praeterea potentiam peccandi esse a Deo in quantum potentia peccandi dicit vim appetendi quodcumque bonum sive verum sive apparens, ut explicatum est in q.73, a.2, dubio 1²⁰⁹; at vero in quantum potentia peccandi affert defectum perfectionis nullam habet proprie causam quia non entis non est causa proprie; Deus autem aliquo modo est illius causa quia re- [f.386] -sultat necessario ille defectus ex defectu producto a Deo. Hinc sumitur 2^a SOLUTIO quae complectitur omnes defectus quae necessario sequuntur ex causis creatis, quam bene tradit Albertus, 2 p., tract.22, q.134 ad 3, dicens: *quod est causa causae est causa causati si causatum eadem habitudine respicit suam causam immediatam; at vero peccatum, error aut alii defectus naturales respiciunt voluntatem et intellectum nostrum ut deficientes sunt non ut efficientes; e contra vero, voluntas et intellectus noster respiciunt Deum ut efficientem, et propterea defectus non reducuntur in Deum ut in causam*²¹⁰.

AD CONFIRMATIONEM RESPONDEO antecedens absolute esse falsum nisi quis teneatur impedire effectum sequutum ex illa causa; etenim licet armorum artificem sciat infallibiliter committenda esse homicidia, non propterea causa est illorum criminum; id vel maxime quia Deus non dedit nobis liberum arbitrium cum potestate peccandi eo fine ut in peccata feramur, sed potius ut cohibendo hanc potestatem mereamur laudem et praemium, et propterea rationis lumen indidit et naturalem propensionem ad is quod honestum est; et quamvis si Deus

²⁰⁹ *Archivo Teológico Granadino*, 57 (1994) 282s.

²¹⁰ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologica*, 2 p., tract.22, q.134: Paris t.33, 1895, p.452a.

creaset hominem in puris naturalibus sine auxilio supra naturam aut praeter naturam, cum solo naturali auxilio, infallibile esset hominem longo tempore aliquando peccaturum, nihilominus non propterea peccatum referendum esset in Deum, quia Deus non tenetur abstinere a creandis hominibus nec tenetur illis conferre auxilia supra naturam aut praeter naturam. Verumtamen Deus pro sua liberalitate hominem instruxit originali iustitia et gratia ut facilius a peccatis abstineret; quod vero in natura lapsa infallibiliter sequantur peccata ex libero arbitrio, hoc non ex defectu divinae providentiae sed hominis culpa contingit, qui originalem iustitiam voluntaria inobedientia perdidit.

Eodem fere modo solvitur ARGUMENTUM 4^{UM} cui maxime nituntur lutherani, apud Soto, libro De natura et gratia, c.18²¹¹, quia videlicet perinde est permittere aliquod peccatum et non dare auxilia ad illud vitandum et causare peccatum; sed Deus permittit et non dat auxilia ad vitanda peccata; ergo causat peccatum. CONFIRMARI potest ex Anselmo, libro De conceptu virginali et peccato originali, c.5²¹², dicente *peccatum pervenire sicut naufragium ex absentia naucleri*. CONFIRMATUR 2^o, ex Aristotele, 2 Physicorum²¹³, dicente idem per absentiam et praesentiam esse causam oppositorum sicut nauta praesentia sua navem servat et absentia causa est naufragii.

Quod attinet AD MATERIAM ANTECEDENTIS non est disputandum modo, sed SUPPONENDA sunt, aliqua ex materia de praedestinatione et gratia:

-1^{um} est omnibus hominibus praeberi a Deo auxilia necessaria ad salutem. [f.386v]

-2^o, licet nulli hominum darentur auxilia necessaria ad salutem adhuc daretur unicuique hominum auxilium sufficiens ut non peccaret ita ut hic et nunc haberet physicam potentiam non peccandi, immo contradictionem implicat peccare illum qui non

²¹¹ DOMINGO SOTO, *De natura et gratia libri III*, 1.1, c.18: Salamanca 1554, fol.66b.

²¹² ANSELMO, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.5: PL 158 439.

²¹³ ARISTOTELIS STAGIRITAE, *Physicorum liber secundus*, c.3: Lyon 1549, col.432.

habet huiusmodi auxilium ad non peccandum quoniam ille non posset non peccare ac proinde peccatum non esset liberum.

-3^o, eo quod Deus permittat peccata et non praebeat uberiora auxilia ad non peccandum non infertur Deum esse causam peccati, idque triplici ratione: -1^a est D. Thomae hic, a.1 corpore, quia gubernator non dicitur causa submersionis navis nisi quando tenetur et potest naufragium impedire et non impedit; at vero Deus non tenetur impedire peccata ut dictum est dubio 3. -2^a ratio est D. Bonaventurae, 2, d.37, a.2, q.1²¹⁴ et Alberti, tract.22, q.134²¹⁵, quia Deus, quando substrahit auxilium abundantius est causa subtractionis auxilii sed non est causa peccati, quod non sequitur postea ex vi subtractionis auxilii, sed quia voluntas nostra libere malum eligit. -3^a ratio, quia respectu illius auxilii actualis quo Deus concurreret cum homine ad actum bonum, si homo vellet auxilio uti, Deus non est causa auferendi tale auxilium, sed causa est homo libere se determinans ad peccatum, ut recte Alexander, 2 p., q 100, mem.3, a.6, § 2, fine²¹⁶, ex Anselmo, libro De casu diaboli; unde quod idem Anselmus citatus in 1^a confirmatione asserit intelligendum est ita ut peccatum proveniat eo quod voluntarie Deum a se abiiciat.

5^o ARGUITUR: quod Deus facit cum causa secunda potest se solum facere; sed Deus simul cum voluntate nostra concurrat ad actionem peccati; ergo Deus se solo poterit eandem actionem facere ac proinde poterit esse auctor peccati. RESPONDEO, probabilius esse universaliter actus vitales sive bonos sive malos non posse fieri a solo Deo nisi concurrente potentia vitali, quod tangit Caietanus hic, a.1, fine²¹⁷, et diximus de hoc, 1 p., q.12,

²¹⁴ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.2, q.1: Quaracchi, t.2, 1885, p.870.

²¹⁵ ALBERTO MAGNO, *Summa Theologica*, 2 p., trac.22, q.134: Paris t.33, 1895, p.452a.

²¹⁶ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.2, inq.1, tract.1, q.94, M.3, a.6, § 2, c.3: Quaracchi 1930, t.III, p.16.

²¹⁷ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.79, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.4, p.79.

a.5, dubio 7. 2^o RESPONDEO, nullum inconueniens esse si solos actus essentialiter malos dicamus non posse fieri a Deo, ut concedimus solos actus malos esse ad quos Deus non posit inducere nec consulere aut praecipere, quia omnia proficiscuntur ex summa deordinatione actus mali.

ARGUITUR 6, quia Deus est auctor poenae qua puniuntur peccata; sed quaedam peccata sunt poena peccatorum; ergo Deus auctor est illorum peccatorum quibus alia puniuntur.

Hic supponere oportet ex communi sententia Theologorum tractanda infra, q.87, a.2, peccatum aliquando esse alterius peccati poenam; quo supposito videndum est utrum huius formalitatis quae est peccatum esse poenam alterius peccati, Deus possit esse auctor. Alexander, 2 p., q.100, memb.3, a.2 ad 1, et clarius Caietanus, 2 Regum, c.12 et 16²¹⁸, dicunt Deum esse causam peccati non ut peccatum est sed ut est poena alterius peccati.

Verum hic modus loquendi reiicitur merito a Cano, 2 De locis, c.4 ad 7²¹⁹, Bañez, 2 2, q.1, a.3, dubio 1, fine, Zumel; hoc a.2, disp.4²²⁰, et a iunioribus communiter. Et ratio est quia licet hic modus loquendi habeat sensum verum intellectum ab Alexandro et Caietano, videlicet Deum non facere nec velle peccatum ut peccatum est sed tantum velle directe permissionem unius peccati in [f.387] poenam alterius, et praeterea postquam videt peccatum esse commissum ab homine Deum velle ut illo peccato puniatur aliud; nihilominus ille modus loquendi magis innuit alium sensum, videlicet a Deo esse volitum et factum peccatum ut peccatum est, quamvis eo fine ut sit poena alterius peccati; hoc autem prorsus falsum est quia nullo bono fine apposito potest honeste amari et fieri peccatum, supra, dubio 1.

²¹⁸ TOMÁS DE VIO CAYETANO, *In secundum librum Samuelis commentarii*, c.12 y 16: Paris 1546, fol.172 y 181.

²¹⁹ MELCHOR CANO, EPISC.CANAR., *De locis theologicis libri duodecim*, l.2, c.4 ad 7: Salamanca, 1563, p.15.

²²⁰ FRANCISCO ZUMEL, *In Primam Secundae Sti. Thomae Comment.*, q.79, a.2, disp.4: Salamanca 1594, tomo 1, p.490s.

Dubitatur 6°

Utrum generalis concursus Dei determinet voluntatem nostram ad actionem peccati

Sectio 1°. Non esse necessariam hanc determinationem

Quia argumentorum omnium quae contendunt Deum esse auctorem peccati solutio praecipue consistit in eo quod Deus non determinet ad actionem peccati, oportet hoc magis ex professo examinare.

Quod generalis concursus Dei determinet voluntatem nostram ad actionem peccati docent aliqui recentiores quibus favere videntur alii Doctores antiqui quos retuli in disputatione de praedefinitionibus, q.7, sec.1²²¹, quia videntur asserere a Deo praedefiniri omnes actiones nostras in particulari.

Verumtamen in hac re distinguere oportet DUAS DIFFICULTATES quae licet valde coniunctae diversae tamen sunt: ALTERA difficultas pertinet magis ad providentiam Dei, videlicet utrum Deus praedefiniat actum materiale peccati ita ut Dei voluntas efficaciter velit actum illum materiale existere sed non velit eiusdem actus malitiam, idque antequam praevideat determinationem voluntatis nostrae. ALTERA difficultas est utrum Deus universali concursu determinet ad actum peccati. Quae duae difficultates in eo differunt quod prima difficultas abstrahit ab his vel illis mediis quibus praedefinitio efficaciter consequatur effectum. Huiusmodi sunt proponere voluntati aliqua quae per modum obiecti melius cogniti moveant, excitare passiones appetitus sensitivi quae ad talem volitionem inclinent, sedare passiones oppositas et remove alia impedimenta intellectus et voluntatis; at vero difficultas posterior tractat de speciali modo determinandi, videlicet per concursum effectivum et non per quemcumque sed specialiter per concursum generalem 1^{ae} causae

²²¹ DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *De Providentia praedefiniente, ac praebente praedestinationis exordium*, Tract.2, De praedefinitionibus, Disp.7, sec.1: Lyon 1631, p.99ss.

utrum per illum Deus determinet voluntatem nostram ad actionem peccati.

Ratio dubitandi est quia 1^a causa ut vere prima sit debet prius agere quam secunda, quapropter movet, excitat et applicat causas secundas et facit ut illae operentur et utitur causis secundis quasi instrumentis et causis subordinatis; ergo 1^a causa, scilicet Deus per generalem concusum determinat omnes causas secundas etiam voluntatem liberam ad omnem actionem sive bonam sive malam. De hoc et similibus argumentis plura dicemus postea. [f.387v]

Sit 1^a CONCLUSIO, *praescindendo ab hoc quod Deus moveat et determinet ad agendum causas secundas, adhuc plures sunt rationes ob quas Deus dicitur 1^a causa et vere est in causando prior reliquis omnibus causis ac proinde respectu volitionis liberae prior causa est quam voluntas*. Rationes autem sunt quatuor:

1^a, quia antequam nostra voluntas operetur Deus illi contulit esse ac proinde virtutem operandi quae ipsa voluntas est.

2^a ratio, quia Deus ante omnem actionem nostrae voluntatis quae exercetur in tempore et non solum antequam existeret nostra actio sed etiam prius ratione quam scientia visionis praevideretur esse futura, Deus ab aeterno decrevit concurrere cum voluntate nostra ad quamvis actionem ad quam voluntas se determinaverit.

3^a ratio, quia prius est a quo non convertitur subsistendi consequentia, ut Aristoteles in Postpraedicamentis docuit²²², qua ratione superiora praedicata priora sunt inferioribus, quia valet argumentum *existit homo, ergo existit animal*, sed non valet *existit animal, ergo existit homo*; ad eum modum quo priora existunt sine posterioribus, sed non e contra, ut parietes sine tecto existere possunt sed non tectum sine parietibus. Ad hunc modum causa universalis est prior qualibet causa particulari, quia valet argumentum *causat nostra voluntas, ergo causat Deus*, sed non valet *causat Deus, ergo causat nostra voluntas*. Hunc modum prioritatis indicavit Aristoteles, 2 Physicorum, c.3, textu 32 et

²²² ARISTOTELIS STAGIRITAE, *Resolutionum priorum liber primus*, c.2, De conversione absolutarum propositionum: Lyon 1549, col.87.

33²²³, quem magis explicuit Averroes ibi, et D. Thomas, lect.6²²⁴.

4^o: cum praecedentes rationes magis ostendant prioritatem 1^{ae} causae consideratae in actu primo et in potentia ad causandum, quae sequuntur rationes ostendunt ipsum etiam concursum actualem ad extra priorem esse nostra actione.

Ratio autem 4^a est quia in iis quae sunt in eodem instanti temporis non est alia prioritas nisi secundum dependentiam aut quasi dependentiam unius ab alio, ut dictum est in Postpraedicamentis; et quamvis hac ratione concursus noster et concursus divinus sint invicem priores et posteriores sub diversis rationibus, nam concursus universalis Dei non esset nisi accedente concursu particulari nostrae voluntatis, et e contra concursus voluntatis nostrae non esset nisi accedente concursu divinae voluntatis, nihilominus inter has duas prioritates longo intervallo prioritas divini concursus vincit prioritatem nostri concursus. Et ratio est quia divinus concursus est magis necessarius, magis efficax et magis influens in effectum quam noster concursus, ac proinde noster concursus magis indiget divino quam divinus indiget nostro, et hoc videtur significari propositione primi libri De Causis, *causa 1^a prius agit in causatum*, et vehementius ingreditur ipsum; quam propositionem explicans D. Thomas [f.388] in commentario adiungit ex Proclo *causa 1^a prius influit quia secunda non agit nisi virtute 1^{ae}*²²⁵.

2^a CONCLUSIO: *in genere determinantis, moventis et applicantis generalis concursus Dei est prior concursu nostrae voluntatis ad omnes actiones liberas, et nihilominus idem concursus Dei est quodammodo posterior, applicatus, motus et determinatus a nostra voluntate, verumtamen motio, applicatio et determinatio divina est absolute prior quam nostra.*

²²³ ARISTOTELIS STAGIRITAE, *Physicorum liber secundus*, c.3, Quod oportet naturalem causarum expositionem facere et quot sint et quae sint: Lyon 1549, col.433.

²²⁴ TOMÁS AQ., *In Aristotelis libros Physicorum*, 1.2, c.6: ed. Vivès 22, p.355s.

²²⁵ TOMÁS AQ., *De causis*, lectio I: Ed. Vivès, t.26, p.514s.

Conclusionem EXPLICO ET PROBO quibusdam praenotatis quorum 1^{um} fundamentum est Deum cum naturalibus causis comparare, v.gr. cum igne, quas merito dixeris a Deo moveri, applicari et determinari ad agendum, quia Deus contulit igni naturam et virtutem activam qua essentialiter determinatus est ad actionem quantum ad intrinseca, et praeterea extrinsece habet illi praeparatum effectivum concursum universalem quo quasi excitatur, movetur, applicatur et determinatur ignis ad operandum eo quod sit ultimum complementum et quasi forma et potissima vis agendi. Quod ut magis apprehendas, finge Deum denegare igni concursum ad calefaciendum ut quondam igni babilonico; tun ignis retinebit quidem suam naturam et naturalem virtutem activam quae est calor, et tamen non calefaciet quia deficit illi praecipua pars causalitatis quae est universalis concursus Dei. Accedat postea concursus Dei extrinsecus igni: iam ex hoc praecisse ignis qui erat in potentia ad calefaciendum et non calefaciebat est prorsus determinatus ad calefaciendum et actu calefacit. Hic igitur est modus quo Deus suo universali concursu movet, applicat et determinat ad agendum quamlibet causam naturalem. Utrum autem praeterea concedendus sit alius modus quo inferiores causae determinantur a 1^a dicemus infra.

2^o. Constat voluntatem nostram esse causam naturalem respectu actus complacentiae boni in communi et ut sic, ac proinde eodem modo quo Deus determinat, applicat et movet causas naturales, ut ignem ad calefactionem, determinat, applicat et movet voluntatem nostram ad complacentiam seu amorem boni in communi. Cui consonat alia RATIO, quia sicut motus gravium et levium tribuitur generanti, quia necessario resultat ex gravitate quam generans tribuit, ita fere motus et inclinatio nostrae voluntatis ad bonum in communi, qui motus consistit in amore seu complacentia boni, tribuitur creatori qui voluntatem produxit, quo exemplo ad hanc rem explicandam utitur D. Thomas, 1 p., q.105, a.4²²⁶. Sed observandum est volitionem quamlibet sive liberam sive necessariam vera efficientia produci a voluntate nostra quidquid sit de motu gravium et levium. [f.388v]

²²⁶ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.105, a.4: ed. leon. 5, 474.

Quod si **OBIICIAS**: ignis habens proximum passum capax caloris, accedente concursu divino necessario calefacit, at vero voluntas nostra non necessario exercet actum amoris et complacentiae circa bonum in communi; ergo non est eadem ratio ob quam complacentia boni in communi tribuatur Deo ut moventi et determinanti, sicut tribuitur illi calefactio.

RESPONDEO: quod ad praesens attinet satis esse quod ex natura voluntatis nostrae adiuncto concursu universali Dei prorsus infallibile est supposita applicatione obiecti, id est, cognitione boni, futuram esse complacentiam boni alicuius propter bonitatem quae in eo relucet; hoc autem esse infallibile **PROBATUR** quia nullum actum potest voluntas nostra elicere nisi propter aliquam rationem boni amatam, unde necessarium est quoties voluntas nostra operatur, in ea operatione esse essentialiter amorem boni. **RURSUS** quoties intellectus proponit voluntati aliquod bonum, infallibile est voluntatem operaturam esse aliquid, sive per volitionem absolutam sive per simplicem complacentiam aut displicentiam circa aliquod ex obiectis quae proponuntur ab intellectu. Hoc autem **PROBATUR** quia, —vel intellectus intelligit bonum sine deliberatione et sublata libertate voluntatis, et tunc voluntas necessario rapietur ad complacentiam saltem inefficacem boni sibi propositi, ut contingit in actibus primo primis, etenim cum illa operatio sit necessaria si voluntas semel necessario rapitur ad complacentiam boni cogniti sine deliberatione semper rapietur necessario praesertim si voluntas non praeocupetur amore alterius boni —vel intellectus ita deliberando intelligat ut libertas vigeat in voluntate, et tunc voluntas infallibiliter habebit aliquam actionem, sive actus sit volitio deliberandi sive complacentia bonitatis eorum obiectorum quae inter se conferuntur eo fine ut magis bonum aut quod magis arriserit eligatur sive quocumque modo voluntas amet aliquod bonum particulare ex iis quae intelliguntur sive aliud detestetur propter adiunctam malitiam. **CONFIRMATUR**, quia quamvis possibilis sit omissio pura sine ullo actu circa aliquod obiectum speciale sive praeceptum sive non praeceptum, ut dictum est q. 72, a. 6, dubio 3²²⁷, nihilominus pura omissio respectu omnium

²²⁷ *Archivo Teológico Granadino*, 56 (1993) 229-248.

obiectorum et omnium actuum voluntatis ita ut nullum prorsus actum eliciat voluntas quamvis illi proponantur obiecta per intellectum, est impossibilis saltem moraliter, quia non sumus ita domini nostrae voluntatis ut possimus omnem actum illius continere, ea praesertim ratione quia quando voluntarie cessamus nescimus utrum cessemus per meram omissionem vel cessemus per positivam volitionem qua volumus cessare ab actu; imo, si data opera velimus continere voluntatem nostram ab omni actu, eo ipso habebimus actum positivum quo volumus cessationem propter aliquam [f.389] bonitatem; si vero non possumus ex industria cessare infallibiliter, voluntas habebit saltem complacentiam circa aliquod obiectum quia voluntas suae inclinationi relicta naturaliter fertur ad aliquod obiectum, et quamvis quilibet actus in particulari circa particulario bona non sit infallibilis, tamen actus aliquis circa aliquod bonum est infallibilis.

[3^o] *Si aliquis adhuc contentiose negaverit hanc infallibilitatem esse in quocumque instanti et tempore in quo proponitur bonum per intellectum, saltem negare non poterit infallibile esse quod fere semper ita contingat et hoc sufficit ad ea quae dicturi sumus.* Haec ita dicta sint ut abstineamus a molesta quaestione utrum amor boni in communi sit absolute necessarius voluntati non solum quoad specificationem sed etiam quoad exercitium supposita cognitione intellectus, cuius pars affirmativa probabilior est propter rationem quam saepe tangit D. Thomas, praesertim 1^a 2^{ae}, q.9, a.3 et 4, corpore et ad 3²²⁸, et q.109, a.2 ad 1²²⁹.

4^o. *Ex dictis, quamvis non colligatur aliquem actum in particulari esse infallibilem, nihilominus colligitur esse infallibilem aliquam rationem communem actus quae est amor boni.* Quae ratio essentialiter includitur in omni actu voluntatis et ad illam infallibiliter inclinatur ex eo praecisse quod voluntas sit et propositum sit illi obiectum ab intellectu et quod assistat paratus divinus concursus universalis, etc. Igitur Deus in quantum auctor voluntatis et in quantum praebens concursum universalem est

²²⁸ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.9, a.3s: ed leon.6,77ss.

²²⁹ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.109, a.2 ad 1: ed. leon.7 291.

causa determinans ad communem rationem amoris boni ad eum fere modum quo nuper dictum est ignem determinari ad calefaciendum a concursu generali Dei.

5°. *Caeterum voluntas nostra, cum ita libera sit et indifferens circa particularia bona, ut singula in particulari possit non amplecti et respuere, habet hoc proprium, ut supposita motione qua movetur et determinatur ad bonum in communi ipsa se determinet ut amor boni sit potius huius boni quam alterius.* Et sicut in hoc differt nostra voluntas a causis naturalibus quod causae naturales determinatae sunt ad specificos effectus et obiecta sua, nostra voluntas indifferens est respectu obiectorum et actuum specie diversorum; ita in hoc differt universalis concursus Dei determinans et applicans nostram voluntatem, a concursu Dei determinante et applicante ignem, quod hic concursus prorsus determinat ignem, at vero concursus universalis cum nostra voluntate non determinat prorsus voluntatem sed tantum ad rationem communem actus et obiecti. Hoc est quod acute et breviter docuit D. Thomas supra, q.9, a.6, fine, his verbis: *Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis quod est bonum, et sine hac universali motione non potest homo aliquid velle sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud [f.389v] sed tamen interdum Deus specialiter aliquos movet ad aliquid determinate volendum*²³⁰ etc. Nota igitur quae motio sit necessaria ad rationem primi et universalissimi motoris et quae non sit necessaria. Praeterea, infra, q.80, a.1 ad 3, ita loquitur D. Thomas: *Deus est universale principium omnis interioris motus humani, sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana hoc directe quidem est ex voluntate humana et a diabolo per modum persuadentis et ab appetito sensitivo per modum proponentis*²³¹.

6°. *Motio et determinatio ad bonum in communi est absolute prior motione ad particularia bona.* Cuius RATIO evidens est quia

²³⁰ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.9, a.6: ed. leon. 6 82.

²³¹ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.80, a.1 ad 3; ed. leon. 7 83; exactamente: ... *a diabolo per modum persuadentis vel appetibilia proponentis.*

omnia ad quae tendit voluntas ideo tendit quia bona sunt et antequam deliberet circa illa discutit singulorum bonitatem quod propterea facit quia bonitatem quaerit; si enim bonitatem non affectaret nulla esset ratio conferendi inter se bonitates obiectorum. CONFIRMATUR, quia id quod formalissimum est in obiecto est prius volitum, sed formalissimum in obiecto voluntatis est bonitas, namque talis bonitas in particulari ideo amatur quia participat bonitatem quamvis speciali modo bonitatis; ergo prima motio voluntatis est in bonum. Adde quod universalissimum est prius, ut in prima conclusione dicebamus, quod D. Thomas explicat infra, q.109, a.6 corpore et ad 3²³², ubi ait motionem Dei esse primam quia est ad universalem finem sicut motio imperatoris ad victoriam prior est quam inferiorum ducum ad sua vexilia.

Iam ergo ex dictis PROBATUR efficaciter conclusio; nam 1^o, constat Deum per universalem concursum movere, applicare et determinare voluntatem nostram non ad amorem particularem nec ad bonum particulare, sed ad communem rationem amoris boni abstrahendo ab hoc quod sit bonum in particulari vel in communi, ad eum fere modum quo determinat et movet causas naturales ad suas particulares actiones, ut probatum est usque ad numerum 5. Deinde hanc motionem et determinationem universalis concursus esse absolute priorem nostra determinatione ad particulare bonum probatum est notabili 6. Ac denique hanc nostram determinationem ad particulare bonum esse in suo genere priorem determinatione Dei PROBATUR quia quando libere operamur non existeret in tali operatione determinatio et concursus Dei nisi existeret determinatio nostrae voluntatis ad particulare bonum, quare, iam concursus universalis hac ratione pendet a nostra determinatione et ea ratione posteriore, scilicet ut applicatus ad talem actionem in particulari.

Hinc denique constat quomodo obiectum extrinsecum, scilicet bonum et intellectum proponens bonum in genere moventis voluntatem sint priora quam motio voluntatis. [f.390]

²³² TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.109, a.6 c et ad 1: ed. leon.7 299s.

Dicendum est enim servata proportione sicut de universali Dei concursu dictum est unde plurima dicta Sanctorum et Scholasticorum ac praesertim D. Thomae conciliantur et mirabilem efficiunt inter se et cum veritate concentum cum tamen alioqui multis errandi occasionem attulerint.

3^a CONCLUSIO: *ut Deus universali concursu adhibet voluntatem creatam ad actionem, non est necessarium determinare voluntatem nostram ad actionem in tali specie.* Haec conclusio efficaciter colligitur ex Doctoribus et rationibus quibus in sectione 3 probandum est concursum effectivum Dei non posse determinare ad actionem peccati. Nunc praeterea PROBATUR quia ex conclusione 1 et 2 constat causalitatem universalem Dei non solum in actu primo sed etiam in actu secundo esse multis modis priorem causalitate voluntatis nostrae, quod sufficit ad rationem 1^{ae} causae et non requiritur determinatio ad particularem speciem volitionis, ut magis constabit ex solutione argumentorum.

PROBATUR 2^o, quia causa libera est ex se indifferens ad plures species volitionis et inter se oppositas et quamvis non sit determinata ad aliquam in particulari, nilominus habet virtutem intrinsicam sufficientem ut quamlibet actionem in particulari producat; ergo quamvis concursus universalis Dei sit proportionatus huic indifferentiae voluntatis et non determinet ad actionem in particulari, nilominus sufficiens erit ut cum illo voluntas operetur. PROBATUR CONSEQUENTIA, quia potentia quae in se habet facultatem qua se ipsam determinet, etiam si ante actum fuerit indifferens non indiget alio determinante, alioqui non potest se ipsam determinare.

Unde obiter solvitur argumentum adversariorum qui inde probant voluntatem nostram agere determinatione accepta a divino concursu quia voluntas ex se non est determinata ad talem vel talem speciem volitionis. Quibus RESPONDEMUS: quamvis voluntas quia libera est non sit determinata, tamen quia libera est habet in se essentialiter potestatem determinandi se et ideo non indiget determinatione proveniente a causa extrinseca.

Notandum tamen est tam in praecedenti conclusione quam in sequentibus sectionibus propterea mentionem fieri de specie volitionis et non de individuo, ut abstineamus ab alia quaestione,

utrum Deus determinet omnes causas secundas quantum ad differentiam numericam effectus, in qua re negativam partem docui in metaphysica et theologia semper, sed praesens decisio non pendet ab illa assertionem.

Sectio 2^a

Diluuntur argumenta quibus oppugnari solet conclusio 3 sectionis praecedentis

Praecipua argumenta quibus iuniores aliqui probare nituntur generali concursu 1^{ae} causae omnes [f.390v] causas secundas et voluntatem liberam determinari ad actionem haec sunt:

—1^{um}, *quia nomen et essentia 1^{ae} causae exigunt ut prius causet quam secunda*; ergo ut determinet et applicet causam secundam ad operandum. CONFIRMATUR 1^o, quia si nostra voluntas determinaret divinum concursum iam nostra voluntas prius moveret et causaret ac proinde foret causa 1^a et non causa 2^a; si autem utraque causa simul causaret non esset inter illas prioritas sed concomitantia. CONFIRMATUR 2^o, quia causa 2^a non agit nisi mota et applicata a 1^a causa: in hoc enim consistit subordinatio omnium causarum sub prima causa et inde concluditur esse aliquem primum motorem; sic enim processisse videtur Aristoteles, 7 Physicorum, c.1, et libro 8, c.5²³³, et 2 Metaphysicorum, c.2²³⁴, quem ex parte imitatur Augustinus, 5 De civitate, c.9²³⁵, et 8 De Genesi ad litteram, c.20²³⁶. Et absolute agentia creata moveri et applicari ad agendum a Deo, et determinari ad determinatos effectus, et propterea agere in virtute Dei docet D. Thomas expresse, 1 p., q.105, a.5 corpore²³⁷, et 3 Contra

²³³ ARISTOTELIS STAGIRITAE, *Physicorum liber septimus*, c.1: Lyon 1549, col.509; *liber octavus*, c.5: *ibid.* col.528.

²³⁴ ARISTOTELIS STAGIRITAE, *Metaphysicorum liber secundus*, c.2: Lyon 1549, col.1385s.

²³⁵ AUGUSTIN, *De civitate Dei*, lib.5, c.9: CCL 47,136-140; PL 41 148.

²³⁶ AUGUSTIN, *De Genesi ad litteram libri duodecim*, l.8, c.20: PL 34 388.

²³⁷ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.105, a.4: ed. leon. 5, 476.

Gentes, c.70²³⁸, et ad idem pertinere existimatur propositio 16 libri De causis²³⁹, videlicet *virtus divina est virtus omnium causarum* quia, videlicet, applicat omnes causas ad agendum, ut exposuit Aegidius, quodlibeto 5, q.1. CONFIRMATUR 3^o, quia causae secundae subordinantur 1^{ae} ut instrumenta artifici; ergo ab illa moventur. Antecedens est D. Thomae, 1^a 2^{ae}, q.6, a.1 ad 3²⁴⁰, et 2 Contra Gentes, c.21, ratione 4²⁴¹. CONFIRMATUR 4^o, quia ad virtutem quae respicit finem universalem pertinet movere et applicare particulares virtutes sicut ad imperatorem pertinet movere omnes duces et milites ad victoriam; sed Deus est causa universalis; ergo debet movere et applicare omnes causas secundas.

Propter hoc argumentum aliqui existimant Deum non solum in effectum producendum a causa secunda sed etiam in ipsam causam secundam influere aliquid reale quod receptum in causa secunda movet et determinat illam ad operandum.

CONTRA hoc figmentum sapienter disputant Molina, 1 p., q.14, a.13, disp.6, 7 et 8²⁴², Suarez, tomo 1 Metaphysicae, disp.22, sect.2²⁴³. Nunc satis erit affirmare duo: alterum est potentia effectiva causae particularis, vel est imperfecta in genere causae particularis vel sufficit ad effectum producendum nulla qualitate activa denuo recepta a Deo si ad effectum [...].

Alterum est si causa naturalis, ut ignis et sol non indigent nova aliqua realitate a Deo accepta ut applicentur ad agendum, eadem ratione non indiget voluntas nostra, quia licet non sit determinata ad talem speciem effectus ut est determinata causa naturalis nihilominus non minus potens est voluntas nostra ad duas

²³⁸ TOMÁS AQ., *Summam contra Gentiles*, 3, q.70: ed.leon. 14 26.

²³⁹ TOMÁS AQ., *De causis*, lectio XVI: Ed. Vivès, t.26, p.549ss.

²⁴⁰ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.6, a.1 ad 3: ed.leon. 6 56.

²⁴¹ TOMÁS AQ., *Summa contra gentiles*, 2, c.21: ed. leon. 13,313.

²⁴² LUIS DE MOLINA, *Commentaria in Primam D. Th. partem*, q.14, a.13, disp.6,7,8: Cuenca (Conchae) 1592, col. 515-542.

²⁴³ FRANCISCO SUÁREZ, *Disputationes metaphysicae*, d.22, sect.2: ed Vivès 1866, t.25, p.802-809,

volitiones primarias producendas quam potens est ignis ad omnem actionem determinatam calefaciendi. [f.391]

Igitur ad principale argumentum RESPONDEO: nomen et essentia primae causae exigunt ut prius causet quam secunda omnibus iis modis prioritatis quos exposuimus in conclusione 1, et praeterea etiam de ratione primae causae est ut causas naturales suo concursu universali prorsus determinet et applicet, sed causas liberas determinet et applicet universali motione ad bonum et ad communem rationem amoris boni abstrahendo ab amore efficaci et simplicis complacentia ordinato vel inordinato amore huius vel illius boni. Caeterum non est de essentia primae causae, sed potius illi in quantum causa universalis est praecisse repugnat quod voluntatem liberam determinet prorsus ad particularia bona ex vi concursus universalis, et tunc maxime repugnat quando particulare bonum adiunctam habet turpitudinem.

Ad confirmationem RESPONDEO distingo antecedens: si nostra voluntas determinaret ad communem rationem boni forte dici potuisset prior in causando quam Deus; sed cum determinaretur a divino concursu ad communem rationem boni et ipsa se determinaret ad bonum particulare et determinatio ad bonum particulare posterior sit quam determinatio ad bonum in communi quae propria est primae causae —supra, conclusione 2— absolute posterior causa est nostra voluntas

Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO: nostra voluntas nihil agit nisi mota et applicata a Deo et determinata ab illo, sed ad bonum in communi et ad volitionem in communi, et voluntas se determinat et applicat ad particulare bonum et particularem volitionem, et in hoc consistit perfecta subordinatio secundae causae ad primam ex qua efficaciter colligitur dari aliquem primum motorem scilicet Deum, de qua illatione non est in praesenti disputandum fusius, 3 Contra Gentes, c.91²⁴⁴.

Et hanc solutionem esse ex mente D. Thomae comperiet manifeste qui contulerit verba quae in praecedenti conclusione 2, numero 5 et 6 retulimus ex D. Thoma, 1^a 2^{ae}, q.9, a.6 fine²⁴⁵,

²⁴⁴ TOMÁS AQ., *Summam contra Gentiles*, 3, q.90: ed.leon. 14 275.

²⁴⁵ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.9, a.6: ed. leon. 6,83.

et q.80, a.1 ad 3²⁴⁶, et q.109, a.6 corpore²⁴⁷, quibus valde consonat 1^a p., q.23, a.3 fine²⁴⁸, et De veritate, q.6, a.3 corpore²⁴⁹, et 2, d.1, q.1, a.4 corpore et ad 3²⁵⁰, et 1 Contra Gentes, c.66, ratione 5.²⁵¹

Quare, quando causa 2^a dicitur moveri a prima non significatur aliquis actualis motus a causa prima transiens in causam secundam sicut moventur instrumenta artis, sed ab his accepta metaphora significatur illa determinatio et applicatio quae provenit ex essentia causae creatae et ex actuali concursu Dei ad effectum, ut explicatum est in sectione praecedenti.

Hinc constat SOLUTIO 3^{ae} confirmationis, et dicendum est 1^o: causae secundae non sunt proprie instrumenta Dei, de quo vide auctores citatos. Dicendum 2^o: nullum instrumentum artis est causa libera sed tantum naturalis; at vero aliqua causa secunda est libera et propterea determinat ad particularem speciem effectus, et ab universal concursu Dei determinatur tantum ad universalem rationem boni.

Ad 4^{am} confirmationem: ad imperatorem pertinet movere ad universalem finem victoriae, sed ad particulares duces pertinet movere ad particulares fines sive propugnandi castrum [f.391v] sive servandi tormenta bellica vel explorandi terram vel ad alios fines. Sic igitur ad primam et universalissimam causam pertinet movere ad bonum in communi, et ad voluntatem pertinet se determinare ad particulare bonum. Haec doctrina aperte colligitur ex D. Thoma, 1^a 2^{ae}, q.109, a.6 corpore²⁵².

Sequitur ex dictis quo sensu verae sint et quo sensu falsae similes aliae loquendi formulae, ut causa 1^a excitat causam 2^{am}, utitur 2^a, causa 1^a facit ut 2^a faciat, quae loquutiones si referantur

²⁴⁶ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.80, a.1 ad 3: ed. leon. 7,282s.

²⁴⁷ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.109, a.6 c: ed. leon.7 299.

²⁴⁸ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1, q.23, a.3: ed.leon.4 274.

²⁴⁹ TOMÁS AQ., *Quaestiones disputatae de veritate*, q.6, a.3 c: ed.leon. 22 184.

²⁵⁰ TOMÁS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, q.1, a.4: ed. Vivès 8 14.

²⁵¹ TOMÁS AQ., *Summa contra gentiles*, 1, c.66: ed. leon. 13,185.

²⁵² TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.109, a.6 c: ed. leon.7 299.

ad specificam rationem effectus falsae sunt quantum ad actionem liberam, praesertim si turpes fuerint; haec enim est absolute falsa: Deus excitat hominem ut blasphemet, Deus fecit ut homo blasphemet, Deus utitur hominis voluntate et lingua ad blasphemandum. Si autem referantur praecise ad amorem boni qui necessario continetur in iis omnibus volitionibus abstrahendo ab hoc particulari bono, verae erunt illae loquendi formulae sed numquam sine explicatione affirmandae.

2^{um} argumentum sit, *quia si voluntas nostra determinaret concursum Dei, sequeretur ideo Deus concurrat quia voluntas nostra concurrat*. —RESPONDEO causalem non esse veram si denotet veram causam; nihil enim est proprie causa divini concursus ad extra nisi Dei liberum decretum et imperium; si autem illa causalis denotet conditionem necessariam applicantem, sic conceditur, ideo Deum concurrere quia voluntas nostra concurrat; verumtamen in alio perfectiori genere dependentiae verum est ideo voluntatem nostram concurrere quia Deus concurrat; si enim Deus negaret concursum universalem quo voluntatem impellit ad bonum in communi, nihil ageret nostra voluntas.

Eiusdem argumenti confirmatio esse potest quia si voluntas nostra determinat divinum concursum actus tribuendus esset potius nostrae voluntati quam Deo nam actio potius tribuitur causae determinanti. RESPONDEO actionem omnem tribuendam esse potius Deo quoad illud omne quod habet actionis, entitatis et boni, tum quia illius maxima et praecipua causa est divinus concursus tum etiam quia eo fine tribuitur et ex natura sua ordinatus est ad bonitatem actionis. Insuper quia quidquid concurrat nostra voluntas, concurrat per virtutem a Deo collatam eo fine ut nostra voluntas perfecte operetur. Et ut actio tribuatur Deo quoad omnem perfectionem et entitatem actionis satis est Deum universali determinatione movere et determinare ad bonum, et non requiritur movere ad specialem actionem, quamvis ad illas aliquando Deus determinet et tunc peculiaris ratio erit propter quam Deo tribuantur. Verumtamen actiones defectuosae et turpes, in quantum deficiunt a ratione actionis et entis ut sic tribuuntur causae determinanti ad particularem actionem et particulare

bonum quia inde illis provenit defectus et privatio debitae rectitudinis. [f.392]

3° ARGUITUR, *quia si divinus concursus determinaretur a voluntate nostra iam divinus concursus perficeretur et compleretur a creatura; hoc autem imperfectionis esset; ergo non est concedendum.* RESPONDEO: immo, concedendum esset quia quamvis causa quae est ipse Deus sit perfectissima et in illa nulla posit esse imperfectio, nihilominus in eius concursu ad extra potest esse imperfectio non quasi desit illi aliquid requisitum in suo genere sed quia non continet omnem perfectionem possibilem cuiusque concursus. PROBATUR, quia cum concursus Dei ad extra non sit aliquid increatum sed pertineat ad genus creaturae, nullum inconveniens est si admixtam habeat imperfectionem secundum eam mensuram qua Deus voluerit illius vim temperare. Quod inde clarius constat quia ille concursus quo totus effectus totaliter producitur independenter ab omni causa secunda perfectior est quam ille concursus quem Deus ita temperat et limitat ut ex vi illius praecisse non produceretur effectus nisi concurrente causa secunda et tamen non propterea negare licebit huiusmodi concursum, ut bene probat D. Thomas, 1 p., q.105, a.5, corpore²⁵³.

CONTRA Cordubam et quosdam nominales vide Molinam, 1 p., q.14, a.13, disp.9²⁵⁴ et Suarez, tomo 1 Metaphysicae, disp. 22, sect.4, n.9²⁵⁵.

Postremo, quamvis concursus universalis minus perfectus sit quam concursus particularis prorsus determinans actum, nihilominus non infert imperfectionem in causa sed potius perfectionem maximam, videlicet potestatem liberam cohibendi et ad libitum temperandi suum concursum, et liberalem voluntatem communicandi hunc etiam honorem et dignitatem creaturis ut creatori cooperentur.

²⁵³ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.105, a.4: ed. leon. 5, 476.

²⁵⁴ LUIS DE MOLINA, *Commentaria in Primam D. Th. partem*, q.14, a.13, disp.9: Cuenca (Conchae) 1592, col. 542-552.

²⁵⁵ FRANCISCO SUÁREZ, *Disputationes metaphysicae*, d.22, sect.4, n.9: ed Vivès 1866, t.25, p.831.

Sed INSTABIS *saltem concedendum esset quod perfectior fuisset concursus universalis Dei si determinaret ad actiones omnes in particulari*. RESPONDEO distinguendo antecedens, nam ille concursus fuisset perfectior in quantum plenius et magis totaliter causat effectum sed tamen in genere concursus universalis erit imperfectissimum quid et impossibile, quia de ratione universalis concursus est ut libere causet, permittat liberam determinationem suae actionis et praesertim actionis turpis, ad quam nullus nisi imperfectissimus concursus determinat. Denique, ut integra providentia Dei perfectior est si quaedam peccata impediatur quaedam vero permittatur, ita collectio cuiusque concursus divini perfectior est si quidam concursus determinet ad bonum et excludat peccatum alter vero non determinet ad actionem.

4^{um} argumentum est *quia si voluntas nostra determinaret divinum concursum non posset Deus non concurrere nobiscum ex suppositione quod nos velimus concurrere et tamen nos possumus non concurrere cum Deo quamvis Deus decreverit nobiscum concurrere, unde sequeretur nos liberiores esse ad actum quam Deum*. RESPONDEO distinguendo ultimum consequens, nam si comparemur cum Deo nullo decreto libero Dei praesupposito evidens est Deum liberiores esse, quia Deus potest negare nobis concursum [f.392v] universalem quo sublato nihil efficere poterimus, et potest Deus praebere concursum universalem et aliunde permittere nos efficaciter allicere ut illo utamur; at vero si comparemur cum Deo ex suppositione quod iam libere decrevit conferre hic et nunc concursum universalem, liberiores sumus quam Deus ad actionem particularem et tanto liberiores ut iam in Deo non restet alia libertas sed perinde concurrat nobiscum ut concurreret si non esset causa libera sed naturalis. Porro Deum non esse liberum quoad emanationem effectus ad extra supposito suo decreto libero nullum inconueniens est.

5^{um} ARGUMENTUM: *qui producit determinationem ille determinat, sicut qui producit calorem ille calefacit; sed Deus semper producit determinationem nostrae voluntatis ad actum particularem et ad speciale obiectum; ergo Deus semper determinat ad specialem actum et speciale obiectum*. Minor probatur, quia determinatio nostrae voluntatis ad actum est ens et non ens

increatedum sed creatum; ergo productum a Deo. RESPONDEO negando maiorem; sicut enim Deus visionem nostram causat, et tamen non videt, quia videre denotat actionem ut procedentem a potentia vitali receptiva visionis productae, ita Deus quamvis producat determinationem nostrae voluntatis ad speciale obiectum, nihilominus non determinat ad speciale obiectum, quia determinare non est efficientis determinationem per concursum ex se indifferentem sed efficientis per concursum determinatum, quae etiam ratione quamvis Deus producat actionem causae 2^{ae}, nihilominus Deus non agit actione causae 2^{ae}. Huius RATIO a priori constabit si argumenti exemplum explicetur magis, nam quicumque producit calorem dicitur calefacere, quia denominationes agentium licet omnes significant actionem nihilominus quandoque important solummodo distinctionem actionum penes terminos sive effectus, et huiusmodi denominationes sunt calefaciens vel frigefaciens quae propterea conveniunt cuicumque quomodocumque producenti calorem et frigus, unde recte dixeris non solum ignem sed etiam solem et Deum calefacere. Aliae denominationes agentium important distinctionem actionum penes diversum modum operandi, sicut *videre* diversum modum operandi significat quem non significat calefacere, et agere ut causa 2^a vel ut instrumentum et determinare important peculiarem modum agendi, et ideo non denominant Deum quamvis comparentur ad Deum ut effectus Dei ab eo producti, quia modus peculiaris agendi his vocibus significatus non constituitur in ordine ad Deum nec est actio Dei, nam eadem formalitas actionis quae est actio nostra considerata ut sic non est actio Dei sed comparatur ad Deum ut effectus productus per communem actionem causae universalis.

6^o ARGUITUR, *quia implicat contradictionem Deo movente voluntatem nostram illam non moveri; ergo divinus concursus et motio illa determinat voluntatem nostram ut operetur.* [f.393]

RESPONDEO negando consequentiam tum quia voluntas nostra determinat divinam ut actu moveat et concurrat nobiscum ad actionem particularem, tum etiam quia quamvis Deus moveat nos ad volitionem in communi sed non ad particularem.

8° [sic] ARGUITUR, *quia si noster concursus non determinatur a concursu divino, sequeretur quod quamvis non possemus actionem producere nisi Deo concurrente possemus tamen conari ad actionem producendam etiamsi denegetur divinus concursus; consequens autem falsum est quia motus ille aliquid est unde non potest esse sine divino concursu.* Sequela vero probatur quia quoties una causa cum alia concurrat non determinata nec applicata ab alia, potest conari ad producendum effectum sine ope alterius causae veluti si ad movendum saxum requirantur vires duorum hominum unus potest conari ad illum movendum licet non moveat.

RESPONDEO negando sequelam, et ad eius probationem distinguendo antecedens, nam si effectus non sit immediate productus a potentia sed mediis aliis actionibus, tunc per alias actiones poterit conari; sicque quia motus localis saxi non causatur immediate a nostra voluntate et intellectu sed prius producimus volitionem et imperium et per illas excitamus actionem appetitus sensitivi per quam moveamus spiritus vitales quibus impetus imprimatur membris et membra applicamus saxo, ad quos omnes effectus, quia non requiritur concursus alterius hominis ideo possumus conari ad movendum saxum deficiente alterius ope et non sequuto motu lapidis; at vero cum volitio sit immediatissima actio voluntatis, contradictionem implicat voluntatem conari ad volitionem et non elicere volitionem, nam conatus essentialiter est actio et non est alia actio voluntatis nostrae nisi volitio, unde sicut non possumus velle nisi Deo concurrente et movente nobis autem determinantibus specialem volitionem ita non possumus conari nisi Deo concurrente ad conatum.

Reliqua argumenta facile solvuntur ex dictis.

Sectio 3

Utrum Deus determinet voluntatem nostram ad actionem peccati

Non disputo utrum Deus possit permittere in voluntate nostra circumstantias quae nos determinant ad actionem peccati nec utrum possit illas circumstantias producere quando ex se bonae sunt, licet nobis futurae sint in ruinam; hoc enim proprium est providentiae et praedestinationis et a me tractatum in disputatione de praedefinitionibus, q.9, sec.2²⁵⁶; sed disputo de concursu Dei ad actionem immediate, abstrahendo ab hoc quod ille sit concursus universalis aut particularis

CONCLUSIO: *Ad nostros actus malos Deus ita concurrat ut eius concursus non determinet nec inclinet voluntatem nostram ad illos sed potius voluntas nostra determinet divinum concursum.*

Haec conclusio colligitur ex divo Dionysio, c.4 De divinis nominibus, dicente Dei actionem esse indifferentem ex se et variari ex diversitate subiectorum et causarum²⁵⁷; et ex Damasceno, 2 Fidei, c.26 et c.30²⁵⁸; [f.393v] et clarius colligitur ex Cyrillo, libro 12 in Ioannem, c.21²⁵⁹, et Augustino, 12 De Civitate, c.6 post medium²⁶⁰; Chrysostomo, homilia 12 et 19 ad Hebraeos²⁶¹, et homilia 42 ad Populum²⁶².

²⁵⁶ DIEGO RUIZ DE MONTROYA, *De Providentia praedefiniēte, ac praebente praedestinationis exordium*, Tract.2, De praedefinitionibus, Disp.9, sec.7: Lyon 1631, p.147s.

²⁵⁷ D. DIONYSII AREOPAGITAE OPERA OMNIA... c.4: Coloniae 1557, fol. 109.

²⁵⁸ JUAN DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, l.2, c.26 y 30: Basilea 1575, p.144 y 164; PG 94 959, 974.

²⁵⁹ CIRILO ALEJANDRINO, *In Ioannis Evangelium liber duodecimus*, c.21: PG 74 739-742.

²⁶⁰ AUGUSTÍN, *De civitate Dei*, lib.12, c.6: CCL 48, 361; PL 41 354.

²⁶¹ JUAN CRISÓSTOMO, *In epistolam ad Hebraeos Homilia 12*: PG 63 99s.

²⁶² JUAN CRISÓSTOMO, *Ad populum antiochenum hominiae 80*, Hom.42: Paris 1588, col. 264.

Hanc conclusionem expresse tradit D. Thomas infra, q.80, a.1 ad 3²⁶³, et colligitur efficaciter ex plerisque aliis locis D. Thomae praesertim ex illis quae adducta sunt in sectione praecedenti in solutione primi argumenti ad 2^{am} confirmationem. Eandem sententiam tenet expresse Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.6, § 2, fine, et 1 p., q.26, mem.4, a.3²⁶⁴; D. Bonaventura optime, 2, d.37, a.1, q.1 ad ultimum²⁶⁵; Scotus, eadem d., q.unica, § *Ad solutionem istorum obiectorum*, et in dubio post solutionem 2ⁱ argumenti²⁶⁶; Durandus, 1, d.47, q.1, n.9 (quamvis ex aliis principiis)²⁶⁷; Capraeolus, 2, d.28, q.1, a.3 ad argumentum 12 contra 2^{am} conclusionem²⁶⁸; Conradus, hoc a.1, § *Nota inquam*, et sequenti 2, d.38, q.2, a.2 circa medium, in ultima ratione contra Scotum²⁶⁹; Marsilius, 1, d.45, a.2, dubio post 3^{am} conclusionem, et 1, q.40, a.2, p.1, conclusione 1, fine²⁷⁰; Adamus, 3, d.14, q.3; dubio 2; Taper, a.7 De libero arbitrio, propositione 10, per totam, praecipue circa finem²⁷¹; Gabriel (quamvis minus aperte), 2, d.37, q.unica, a.3, dubio 2²⁷²; Driedo, De captivitate et redemptione generis

²⁶³ TOMÁS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.80, a.1 ad 3: ed leon. 7 83.

²⁶⁴ ALEXANDER DE ALES, DOCTOR IRREGRAGABILIS, *Summa Theologica*, P.II, q.100, mem.3, a.6, § 2: ed.1516, fol.CCIIv; P.1, q.26, mem. 4 ad 3: ed.1515, fol LXXv.

²⁶⁵ BONAVENTURA, *In secundum librum Sententiarum*, d.37, a.1, q.1, adult.: Quaracchi, t.2, 1885, p.863.

²⁶⁶ JUAN DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, d.37, q.2: ed. Vivès, Paris, t.13 (1893) p.378b, 379b.

²⁶⁷ DURANDO DE SAN PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 1, d.47, q.1, n.9: Amberes 1566, fol.120b.

²⁶⁸ JUAN CAPRÉOLO, *Defensiones theologicae d.Thomae Aquinatis*, 2, d.28, q.1, a.3 ad arg.12: Turonibus, t.4, 1903, p.304s.

²⁶⁹ CONRADO KOELLIN, O.P., *Expositio commentaria in primam secundae*, q.79, a.1: Venecia 1589, p.621ss.

²⁷⁰ MARSILIO DE INGHEN, *In quatuor Sententiarum*, 1, d.45, a.2; d.40, a.2, p.1: ed.1501, fol.CXCIIrb; fol.CLXVIr.

²⁷¹ RUARDO TAPPER, *Explicationis articulorum... circa dogmata ecclesiastica*, Articulus septimus *De libero arbitrio*: Amberes 1555, tomo 1, p.309-315.

²⁷² GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 1.2,

humani, trac.4, c.2, postquam disputavit de praeparationibus ad gratiam, p.5 illius capituli, in qua colliguntur conclusiones²⁷³. Et magis ex professo hoc tradunt iuniores, ut Molina, 1 p., q.14, a.13, a disputatione 6 usque ad 10²⁷⁴; Suarez, 1 Metaphysicae, disp.19, sect.4, et disp.22 per totam, praesertim vero sect.2 et 4²⁷⁵; Bellarminus, tomo 3 Controversiarum De amissionem Gratiae, libro 2, c.5 et c.18²⁷⁶; Zumel, hoc a.2, disp.3, conclusione 2, ex professo, quamvis postea in conclusione 3 multa misceat inconsequenter dicta²⁷⁷. Eadem sententia efficaciter colligitur ex Ubaldo, tomo 1 doctrinalis, libro 1, a.1, c.35, columna penultima; Caietanus, 1 p., q.19, a.8²⁷⁸; Almain, 1 Moralium, c.1 post medium²⁷⁹; Henricus, quodlibeto 8, q.5²⁸⁰; Corduba in Quaestionario, q.55, dubio 10, post post ultimam solutionem argumenti in principio propositi, nota 2, et quaestiuncula 2 in 2 coroll. et dubio 11 et 12.

Solet haec conclusio a quibusdam probari quia si Dei concursus effectivus determinaret voluntatem nostram ad actum peccati auferret libertatem. Sed hanc rationem praetermitto quia involvit molestam disputationem communem omnibus actionibus sive bonis sive malis, ut veniam ad argumenta quae propria sunt malis actionibus. Illud tamen notandum est, dupliciter posse

d.37: Tubinga 1984, p.645s.

²⁷³ DRIEDO A TURNHOUT, *De captivitate et redemptione generis humani*, tract.4, c.2, 5^a parte: 1533, p.331s.

²⁷⁴ LUIS DE MOLINA, *Commentaria in Primam D. Th. partem*, q.14, a.13, disp.5-10: Cuenca (Conchae) 1592, col. 510-552.

²⁷⁵ FRANCISCO SUÁREZ, *Disputationes metaphysicae*, d.19, sect.4; d.22: ed Vivès 1866, t.25, p.706-710; 802-843.

²⁷⁶ BELARMINO, *Controversia de amissione gratiae*, l.2, c.5, c.18: Ed. Vivès t.5, p.258, 297.

²⁷⁷ FRANCISCO ZUMEL, *In Primam Secundae Sti. Thomae Comment.*, q.79, a.2, disp.3, concl.2s: Salamanca 1594, tomo 1, p.485-489.

²⁷⁸ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 p., q.19, a.8: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.4, p.245.

²⁷⁹ JACOBO ALNAIN, *Moralia*, l.1, c.1: Paris, 1526, fol.2v.

²⁸⁰ MAGISTRI HENRICI GOEBLS A GANDAVO, *Quodlibeta*, quodl.8, q.5: Reproducción de Lovaina en 1961 de la original de 1518, fol.CCCV.

determinari voluntatem nostram a divino concursu: —primo modo ita ut supposita praeparatione abundantis et efficacis concursus quem Deus decrevit conferre, non maneat in voluntate nostra potestas physica resistendi et multo minus potestas moralis. Et utrum hoc concursu libertas auferatur disputandum est in materia de Providentia vel de Voluntate Dei vel de Gratia. —secundo modo, ita ut supposita praeparatione divini concursus adhuc in voluntate nostra manet potestas physica omittendi actum, quamvis non maneat potestas moralis, sed infallibile sit elicien- [f.394] - dum esse actum, de quo dixi in quaestione 6 de praedefinitionibus²⁸¹.

Igitur conclusionem nostram *explico* esse universaliter veram, ita ut sive concedatur Deum determinare ad aliquas actiones bonas sive ad omnes sive ad nullas sive concedatur determinare manente potestate physica omittendi sive utraque manente vel sublata, denique quidquid sit illud quod dicendum est circa determinationes ad actus bonos, adhuc verum sit Deum non posse determinare ad ullam actionem essentialiter malam nec concursu generali nec speciali idque non solum ea determinatione quae aufert potestatem resistendi et omittendi actionem sed etiam illa determinatione quae relinquit potestatem sive physicam sive moralem resistendi et omittendi actum.

Igitur nostra conclusio PROBATUR PRIMO, quia impossibile est Deum velle determinare actionem materialem peccati sub quacumque praecissione a malitia, ut probandum est infra dubio 7; sed si Deus praeberet concursum effectivum determinantem ad actionem materialem peccati Deus haberet intentionem et voluntatem determinate producendi actionem materialem peccati; ergo impossibilis est talis concursus determinans. MINOR PROBATUR, quia quae per se et immediate ordinantur ad unum finem non possunt esse volita a voluntate efficaci nisi etiam finis volitus sit, sicut non potest esse volita calefactio nisi volitus sit calor producendus per calefactionem; sed concursus effectivus determinans ad aliquem

²⁸¹ DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *De Providentia praedefiniēte, ac praebente praedestinationis exordium*, Tract. 2, De praedefinitionibus, Disp. 6: Lyon 1631, p. 83.

actum ordinatur per se et immediate ad illum actum et non est alter finis ad quem magis per se et immediate ordinetur; ergo si Deus praeberet concursum determinantem ad actionem peccati Deus haberet intentionem et voluntatem determinate producendi actionem peccati. CONFIRMATUR primo, quia ex eo praecisse quod medium per se ordinatum ad finem et prorsus efficax et cognitum ut tale est volitum, consequenter volita est eius natura quae essentialiter habet ut consequatur effectum. CONFIRMATUR secundo, quia omnis causa ut agens aliqua actione intendit effectum per se productum illa actione et non per accidens, et quidem causa naturalis hunc finem non intendit nisi appetitu insito et extrinsece ordinatur ab auctore naturae; at vero agens per intellectum et voluntatem ut Deus, hunc finem intendit actu elicitio; quare si Deus decernit praeberere concursum determinantem ad actionem periurii intendit actionem periurii existere in rerum natura.

PROBATUR 2, quia consilium eliciendi actionem materiale odii Dei non magis per se ordinatur ad causandas eas actiones nec immediatius quam concursus effectivus determinans ad eas actiones: hic enim concursus, consideratus in actu primo et in praeparatione divina, efficaciter infert illas actiones, et ita immediate ad illas ordinatur ut determinatio illa non possit ad alias actiones [f.394v] concurrere; sed citra controversiam impossibile est a Deo praeberi consilium eliciendi actionem materiale odii Dei; ergo impossibile erit per concursum effectivum determinare.

PROBATUR 3, quia supra, praesertim dubio 4, Theologorum disputantium utrum Deus sit causa peccati dogma est voluntatem nostram abuti divino concursu universali et impedire perfectionem effectus ad quem quod in se est dirigebatur concursus universalis. Quod explicant exemplo aegritudinis quae in tibia impedit quominus virtus motiva rectum et perfectum incessum producat, et exemplo manus discipuli quae mota a magistro impedit ne magister perfectos characteres effingat; quae tamen vera non fuissent si Deus suo concursu effectivo determinaret ad actionem peccati. CONFIRMATUR, quia si Deus determinat ad hanc speciem actionis Deus est causa ut actus sit malus, et actus hic procedit a

Deo ut a causa deficiente; quia non alia ratione homo est causa ut actus sit malus et ille procedit ab homine ut a causa deficiente nisi quia homo determinat ut actus non sit cum perfectione sed sit cum hac differentia ex qua necessario sequitur defectus. Ut supra, dubio 4.

4^o PROBATUR ratione, a Theologis saepe repetita ut divinum concursum universalem a culpa liberet quamvis ad actionem peccati concurrat: quia videlicet Deus tenetur concurrere lege universalis causae. Quae ratio locum habet si concursus universalis ex se est indifferens; verumtamen eiusdem rationis vis et cohaerentia nulla est si Deus praebet huic homini hic et nunc concursum determinantem ad actionem peccati, cum tamen Deus satisfaceret muneri primae causae si praeberet concursum determinantem ad bene operandum; etenim si concursus universalis est semper idem quod ex se est, ille idem semper debetur ex lege primae causae; at vero si concursus universalis est multiplex et determinans voluntatem nostram antequam ab illa determinetur, iam ratio universalis causae non obligat ut praebet concursum determinantem ad actionem peccati, quia prorsus satisfacisset Deus muneri primae causae si praebuisset alium concursum determinantem ad actionem bonam. CONFIRMATUR, quia inde sequeretur Deum esse causam moralem peccati, quia Deus pro sua libertate determinat hunc hominem et non alium, nunc et non alio in tempore, ad hoc opus malum et non ad opus bonum.

5^o PROBATUR, quia fides redditur ambigua si admittamus Deum posse determinare per concursum effectivum sive quovis alio modo ad actionem materialem peccati dummodo non intendat illam actionem nec eius malitiam sed intendat alium finem. Et ratio est quia eadem ratione dici poterit Deum determinare omnes pontifices et universam Ecclesiam ad entitatem [f.395] materialem erroris, quo existimarent manere vitam aeternam, praemia et poenas, idque sine fundamento, atque Deum ea determinatione non intendisse malitiam erroris nec actionem materialem erroris sed tantum intendisse optimum finem continendi homines in officio atque in virtute.

SI RESPONDEAS 1^o Deum dixisse se prolaturum esse vera et nihil falsum admittendum esse a tota ecclesia, URGES NIHILOMI-

NUS quia ex illo fundamento sequitur possibilem esse hunc etiam errorem quo circa Dei veracitatem et ecclesiae propositionem decipiamur a Deo, ad cuius erroris entitatem materialem Deus bono fine determinet ecclesiam, et non restabit firma ratio qua colligamus hoc esse impossibile si Deus bono fine potest determinare ad materialem actionem peccati.

SI RESPONDEAS 2º, aliud esse Deum loqui falsa aliud vero determinare ad actionem peccati vel erroris. FATEOR quantum ad aliud propositum haec esse diversa, verumtamen ad rem praesentem nullum discrimen solidum reddi potest, nam suppono locutionem quam nos percipimus Dei nomine prolatam, sive ab ipso Deo sive ab angelo aut prophetis, esse aliquid creatum extra Deum existens, unde non potest esse ratio propter quam ad illius locutionis entitatem materialem non possit Deus bono fine determinare nisi quia hoc est essentialiter contra rationem et quia inde essentialiter sequitur Deum esse per se et directe causam erroris: atqui eadem ratione sequitur Deum esse causam per se peccati, si determinet ad entitatem materialem peccati quamvis illam aut eius malitiam non intendat sed alium bonum finem.

SI RESPONDEAS 3º locutionem causari a Deo ut a causa particulari, sive ipse immediate formet signa sive per angelos sive per prophetas, et propterea adscribi Deo, at vero actionem peccati non causari nisi ut a causa universalis. —CONTRA hoc est 1º, quia si concursus universalis effectivus sufficit ut determinet hominem ad entitatem materialem odii Dei, sufficet etiam ut determinet prophetas ad entitatem materialem erroris aut volitionis decipiendi; et quod istud accipiatur ab Ecclesia postulat ut factum a Deo tanquam a causa particulari at non ut a causa universalis, error erit ad cuius entitatem materialem, similiter poterit Deus determinare ut causa universalis, et idem dico de actu quo Ecclesia existimat sua dogmata tradi a Deo ut a causa particulari. 2º, eadem solutio reiicitur, quia si concursus universalis eiusmodi est ut sua multiplicitate sufficiat ut per illum Deus determinet nostras potentias ad quam voluerit actionem, iam superfluit ad hunc finem quilibet concursus Dei ut causae particularis, vel potius semper concursus divinus erit concursus causae particularis, quia semper determinat ad particulares actiones.

RESPONDEBIS 4^o, eandem difficultatem urgere contra theologos qui concedunt Deum permittere quandoque errores et peccata; ergo poterit permittere ut tota Ecclesia erret. RESPONDEO longe dissimilem esse vim huius consequentiae ac nostrae. Nam si supponamus Deum non posse determinare ad errorem aut ad aliam actionem turpem et aliunde constet Deum determinare ad aliquod dogma, inde constabit illud dogma esse verum; atqui ex miraculis et ex reliquis omnibus signis pertinen- [f.395v] -tibus ad evidentiam credibilitatis constat Deum determinare ad dogmata Ecclesiae et in hac determinatione nullus concedit Deum posse permittere errorem quamvis alioqui permittere posset.

Ex dictis colligitur constans dogma esse debere, Deum non posse determinare ad ea quae per se et natura sua ordinantur ad volitionem turpem sive ad errorem; quamvis ex rebus ad quas Deus determinat nec necessario nec infallibiliter sequatur error aut turpis volitio sed tantum inclinentur potentiae ad illas actiones, hoc erit impossibile; quare, sicut Deus se solo non potest producere in nobis habitum erroris aut vitii aut aliam qualitatem per se inclinantem ad illas materiales actiones, ita nec potest praebere concursum qui in actu primo ad similes actiones materiales inclinet, quamvis nec necessario nec infallibiliter. Idque non solum non potest praestare Deus ut causa particularis sed nec ut causa universalis, et non solum in homine libero sed etiam in amente; quod si ad has actiones non potest per concursum determinare, multo minus poterit illas a se solo producere.

Notandum est quosdam, ut effugiant vim argumentorum praecedentium ita fingere determinationem ad peccandum ut Deus praecognoverit in voluntate nostra quid factura esset hic et nunc si per se absque Dei concursu posset se determinare ad hoc vel illud amandum, et Deum determinare voluntatem nostram ad eum actum ad quem se determinaret voluntas in tali hypothese. Verumtamen hic modus dicendi est prorsus improbabilis et sibi

REPUGNANS: 1^o, quia ex hac hypothese quod voluntas creata non penderet in suis actibus a Deo, sequitur quod non peccaret, quia esset Deus. Quod si dicas suppono etiam in hypothese voluntatem nostram non esse Deum nec pendere a Deo; ex hac

hypothesi sequitur quod eliceret actum peccati et non eliceret, nam qua ratione non pendet a Deo non eliceret actum peccati, et qua ratione est creatura posset elicere. Insuper, cum illa voluntas esset chimerica et impossibilis, ex illa non magis sequuntur actus veri quam actus chimerici longe diversi ab iis qui modo fiunt.

REFUTATUR 2^o haec solutio, quia non obtinet quod intendit. Etenim homo non peccat propter id ad quod se determinaret si operaretur sine concursu Dei, sed tantum peccat propter id quod de facto operatur; ergo si actus qui de facto elicitur fit a Deo ut a causa determinante ad talem actum, Deo potius quam homini imputandus erit actus, quamvis homo se determinaret ad illum in illa hypothese impossibili. CONFIRMATUR, quia si certis coniecturis colligerem fore ut Petrus audita iniuria decerneret vindictam sumere sine meo consilio et nihilominus ego prius illum inducerem ad sumendam vindictam, fuisset causa moralis vindictae; ergo similiter Deus.

3^o, quamvis faciant ad eam rationem ea omnia quibus in 1^a p., q. 14, a. 13, dubio 10, impugnata est a me scientia conditionalium propositionum quarum antecedens nullam vim habet inferendi [f. 396] consequens, sed in praesenti non est utendum illis argumentis quia illa scientia probabiliter asseritur quando supponitur conditio possibilis, ut quid faceret Petrus si esset Romae, tamen impossibile est eiusmodi propositiones esse veras et scibiles quando supponunt hypothesim impossibilem et involventem contradictionem, ut supra tetigi.

Restant DIFFICULTATES duae: 1^a, utrum Deus per effectivum concursum determinare possit ad actionem peccati vage et in communi. Et RATIO dubitandi est quia ex vi naturae humanae, etiam si produceretur in puris naturalibus et ex vi communis auxilii, si Deus, ut potest, hominem specialibus auxiliis destituat longo tempore infallibile est fore ut aliquando mortaliter peccet, et tamen ad actionem peccati vage determinatus est homo ab eo qui naturam ita determinatam condidit et qui praestat solum universalem concursum.

RESPONDEO: quamvis Deus produxerit hominem qui supposita subtractione auxilii abundantioris est determinatus ad aliquod peccatum vage longo tempore committendum, nihilominus inde

non infertur Deum determinare ad peccatum vage, quia Deus non potuit auferre illam determinationem, ex suppositione quod creabat hominem et non conferebat uberiora auxilia quae non tenebatur conferre et quia illa determinatio essentialiter est coniuncta cum natura hominis non quatenus perfecta est quia ratione est a Deo sed quatenus adiunctam habet imperfectionem ex eo quod facta sit ex nihilo, quae imperfectio non est a Deo, ac propterea quod ex illa provenit non reducitur in Deum. At vero si Deus pro suo arbitratu per concursum effectivum addit maiorem aliquam determinationem ad actionem peccati, quantumvis ea determinatio superaddita exigua sit et ad actionem peccatorum vage, nihilominus ille concursus effectivus Dei non potest esse volitus a Deo nisi quia intendit et vult tales actiones peccatorum, quia ad hunc concursum non cogitur Deus ex natura rei productae. Quare, omnes rationes praecedentes suam vim retinent non solum circa actiones peccatorum determinate sed etiam circa actiones peccatorum vage.

Adde quod ea determinatio ad aliquod peccatum vage quod consequitur ex natura humana, provenit ex adiuncto corpore et inclinationibus illius ad proprium bonum animalis potius quam ex anima rationali. Caeterum concursus effectivus Dei qui determinaret ad actiones peccatorum vage teneret se ex parte animae rationalis quae ex se debet esse multo magis inclinata in bonum rationis. Vide dubii sequentis argumentum ultimum.

2^a DIFFICULTAS est utrum saltem ex hypothese quod Deus praevideat hominem actualiter determinatum ad gravius peccatum vel si forte ex circumstantiis et motivis infallibiliter inclinetur ad illud, possit Deus illum hominem determinare ad actionem levioris peccati ut evitetur peius. Videtur enim posse, quia consuleret minus malum ad vitandum maius. RESPONDEO minus malum consulere non licet nisi praecisse sub ratione minoris. Et ut clarius dicam [f.396v] solum consulere licet subtractionem maioris malitiae permittendo minorem, de quo non est modo disputandum. Sic igitur poterit determinare et consulere subtractionem maioris malitiae et subtrahendo concursum impedire malitiam maiorem quamvis inde sequatur infallibiliter minor culpa. Caeterum nullo modo poterit Deus concursu

effectivo maiori et magis determinato quam sit communis concursus determinare voluntatem ad actionem levioris culpae, cum concursus ille per se et immediate ordinetur ad talem actionem peccati; non potest excusari ab intentione talis actionis et culpae quamvis ab intentione vitandi gravius scelus vel ab alio meliori fine moveatur, ut supra dictum est.

Dubitatur 7

Utrum Deus velit peccatum

Ex dubio 1 et 3 suppono propositiones duas: 1^a est: *Deus non vult peccatum ut peccatum est volendo eius malitiam.* 2^a: *Deus non praecipit nec consulit peccatum nec vim infert nec inclinatur et incitat ad peccatum intendens ut nos peccemus.* Hae propositiones constant inter catholicos.

Nihilominus iuniores theologi sentire videntur quod Deus intendit et vult actionem materialem peccati non intendendo illius malitiam et quod ex intentione huius actionis materialis peccati determinat voluntatem nostram ad illam actionem, immo Altissiodorensis, libro 2, tract.26, q.2 versus finem²⁸², in solutione cuiusdam 2^{ae} rationis ait Deum non solum voluisse comestionem Adami sed etiam voluisse ut Adam comederet.

Nihilominus, sit 1^a CONCLUSIO CERTA: *actionem materialem peccati praecissa illius malitia Deus non vult nec potest velle ita ut divina volitio a se ipsa determinetur ad talem actionem volendam et multo minus potest ita velle praebere concursum in hoc instanti ad hanc actionem materialem ut velit etiam negare concursum efficientem ad eliciendam actionem bonam incomponibilem illi actioni malae.*

PROBATUR: quia si divina volitio a se ipsa et non a nobis determinata vult actionem materialem peccati iam est causa moralis et libera illius actionis materialis; ergo est causa libera et moralis turpitudinis quae sequitur talem actionem, quia non alio modo nos sumus causa malitiae et turpitudinis nisi quia deter-

²⁸² GUILLERMO ALTISIODORENSE, *Summa pernecessaria...*, 1.2, tract.26: fol.95rb.

minate volumus actionem et obiectum quae non possunt esse sine turpitudine. Nec liberaretur Deus ab hac nota ex eo solum quod intendat actionem non intendendo turpitudinem, nam si haec separari possunt nos quantum possibile est separamus, etenim non intendimus nisi bonitatem obiecti et actionis materialis, et turpitudinem odio habemus.

RESPONDEBIT aliquis: homini propterea imputatur malitia quae sequitur ex actione materiali quam vult quia tenetur vitare illam malitiam; Deus autem non tenetur illam vitare; quare, actio mala est respectu hominis et non respectu Dei.

Haec solutio REFUTATUR quia quamvis Deo nulla sit obligatio proprie quae oriatur ex praecepto alicuius superioris, est tamen Deo intrinseca obli- [f.397] -gatio vel potius necessitas abstinendi a quacumque volitione indigna infinito bono, et hoc modo obligatio et necessitas est in Deo evitandi malitiam quae sequitur ex actione materiali a se determinate volita. CONFIRMATUR, quia alioqui Deus posset velle determinate entitatem materialem mendacii et erroris, quod impugnavimus in dubio praecedenti, sect.3. Quare, actiones intrinsece malae ut odium Dei et periurium ut essentialiter sunt malae respectu hominis, ita sunt malae respectu Dei, id est essentialiter repugnantes divinae voluntati.

Ad confirmandam praecedentem conclusionem instaurari possunt omnia argumenta contra haereticos adducta in dubio 1 et 3 et in dubio 6 sect.3. Et praesertim CONFIRMATUR 1°, quia Deus non solum prohibet malitiam quae sequitur ex odio Dei sed etiam prohibet actionem materialem odii Dei; ergo illam detestatur et non vult determinate et ex pondere propriae voluntatis; alioqui Deus sibi contrarius erit. 2°, quia Christus Dominus potuisset discipulis consulere actionem materialem mentiendi intendendo bonum finem alliciendi ad virtutem.

2^a conclusio: *Deus vult actionem materialem peccatorum ea ratione qua includunt essentialiter communem rationem actionis liberae quam Deus vult producere cum nostra voluntate.*

PROBATUR, quia Deus ad omnem actionem concurrat per voluntatem et intellectum; ergo si ad rationem peccati concurrat

vult actionem materialem peccati producere, vult inquam saltem aliqua communi ratione.

Pro cuius explicatione NOTANDUM est DUPLICI MODO posse constitui volitionem divinam: PRIMO, ut versetur circa actiones peccatorum in particulari, et vult illas producere, sed velit dependenter a conditione *si voluntas nostra se libere determinaverit ad illas*, ita ut in Deo essent expresse et distincte volitio quae significatur hac propositione *volo concurrere ad odium Dei eliciendum in tali instanti a Petro si Petrus se determinaverit*, et similiter esset volitio distincta et in particulari attingens quamlibet aliam actionem malam cum praedicta conditione. Hic modus volendi videtur minus probabilis quia divina volitio videtur contrahere turpitudinem eo quod ita in particulari amplectatur actionem malam quamvis dependenter a conditione.

SECUNDUS igitur et probabilior MODUS est *ita ut Deus circa actiones malas non velit nisi rationem entis et actionis, at vero rationes particulares a quibus nascitur malitia non velit nisi in quantum in illis trascenderet imbibitur ratio entis et actionis a Deo volitae.*

Si OBIICIAS: ergo Deus eodem modo vult et offert concursum ad actus qui numquam eliciuntur sicut offert ad actus qui eliciuntur, nam etiam actus qui numquam eliciuntur vult Deus sub communi ratione actus et offert concursum indifferentem ad illos. RESPONDEO concedendo consequentiam quantum ad actus malos qui quamvis quia 1° actu eliciuntur habeant actualem concursum Dei ad extra quem non habent actus qui numquam eliciuntur; nihilominus quantum ad voluntatem immanentem in Deo et praeparationem concurrendi nihil amplius habent actus qui eliciuntur quam actus qui numquam eliciuntur. Hoc autem limitavi ad actus malos quoniam ad [f.397v] actus bonos qui de facto eliciuntur magis determinata est divina voluntas. De quo alibi.

DUBITABIS utrum saltem ex suppositione quod Deus videt fore ut voluntas creata se determinet ad actum malum voluntas Dei determinetur ad actum malum. Et ratio dubitandi est quia ex tali suppositione manet determinatus divinus concursus ad actum malum; ergo etiam divina voluntas erit determinata.

Nihilominus sit 3^a CONCLUSIO: *ex suppositione quod Deus videt fore ut voluntas creata se determinet ad actum peccati, divina voluntas adhuc quoad intrinsecum modum volendi indifferens est et sola denominatione extrinseca est determinata.*

EXPLICATUR conclusio: Deus etiam supposita tali scientia non potest in particulari amplecti actionem odii Dei sed tantum potest amplecti quod nulla facta suppositione poterat, videlicet rationem communem actionis et actionem omnem quatenus participat rationem actionis praecisse. Dico autem divinam voluntatem esse determinatam extrinsece quia ex determinatione voluntatis nostrae fit ut illa volitio divina concurrat ad hanc actionem peccati.

RATIO conclusionis est quia quamvis divina voluntas non amaret determinate actum odii Dei nisi praesupponeretur conditio quod ille actus sit eliciendus, nihilominus adhuc determinate amplectitur obiectum malum si illum actum in particulari vult facta suppositione; ergo erit mala divina volitio. CONFIRMATUR quoniam haec volitio praesupponens visionem actionis futurae nihil prodest ad praebendam hominibus potestatem agendi, cum tota haec potestas praesupponatur data independenter a visione nec habet aliam utilitatem illa volitio; ergo non est asserenda.

Hanc reor esse mentem Damasceni, 2 De fide, c.29, his verbis: *eorum quae in nobis sunt, si bona quidem praesertim antecederentque vult et acceptat Deus; sin mala nec praesertim vult nec consequenter vult, sinit autem arbitrium ad illa liberum*²⁸³.

CONTRA decisionem huius quaestionis occurrunt ARGUMENTA quorum praecipua sunt:

PRIMUM, quia si actiones peccatorum divina voluntas non vellet determinate, iam divina providentia circa illas actiones esset imperfecta, quia esset confusa, dubia, inefficax et indeterminata, siquidem non vult nisi rationem universalem actionis ita ut virtute talis volitionis non determinetur in particulari et efficaciter quae actio producenda sit. Difficultas huius argumenti est propria providentiae, et de illa dictum est fuse disputatione De praede-

²⁸³ JUAN DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, 1.2, c.29: Basilea 1575, p.150; PG 94 970.

finitionibus, q.7, sect.2²⁸⁴. Nunc breviter dico providentiam Dei circa actiones peccatorum esse non solum circa actiones in communi sed etiam circa actiones in particulari et habere eam certitudinem et determinationem et efficaciam quam Deus vult habere et quae satis est ad perfectissimam providen- [f.398] -tiam circa actiones peccatorum, circa quas divina providentia debet se habere aliter quam circa actiones. Bona providentia autem circa actiones peccatorum continet QUINQUE PARTES:

1^a est dare potentias voluntatis et intellectus et alia requisita ut possimus disiunctive bonum vel malum, et eo fine has potentias conferre ut possit ad utrumlibet.

2^a est decretum Dei praebendi concursum actualem ad actum ad quem se determinaverit nostra voluntas.

3^a est decretum Dei permittendi hoc peccatum in particulari et illud et illud.

4^a est concursus ad extra quo in particulari ad actionem peccati concurrat Deus.

5^a est ordinare hoc peccatum permissum ad aliquem finem bonum quemque Deus pro sua bonitate elicit.

Igitur tres postremae partes providentiae sunt circa actiones peccatorum in particulari et determinate, et prorsus efficaciter quantum ad id quod Deus vult.

Hinc etiam SOLVITUR OBJECTIO quae fieri solet quod actiones peccatorum casu contingere respectu divinae providentiae. Huic RESPONDEO non evenire casu actionem quam Deus in particulari cognoscens vult permittere ut illa utatur ad bonum finem.

SECUNDUM ARGUMENTUM est quia Deus concurrat determinate non solum ad actionem genericam sed etiam ad actionem specificam et infimam odii Dei aut alterius actionis turpis sed Deus non aliter concurrat nisi volendo et imperando; ergo determinate vult differentiam specificam et numericam talis actionis. Maior probatur: quia differentia specifica et numerica illius actionis sunt essentialiter ens creatum; ergo indigent divino

²⁸⁴ DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *De Providentia praedefiniēte, ac praebente praedestinationis exordium*, Tract.2, De praedefinitionibus, Disp.7, sec.2: Lyon 1631, p.101ss.

concursu non minus quam ratio generica. CONFIRMATUR 1^o, ex illo Sapientiae 11, fine [26], *quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses*. CONFIRMATUR 2^o, quia ad effectum particularem et determinatum non sufficit concursus indifferens; sed actus peccati est particularis et determinatus; ergo ad illum non sufficit concursus indifferens.

RESPONDEO: duplex est concursus Dei, alter in actu 2^o, qui est actio Dei ad extra et ens creatum receptum in nobis, scilicet dependentia nostrae volitionis a divina potentia et voluntate, et hic concursus est determinatus ad hanc volitionem ita ut nullo modo possit terminari ad aliam, quia vel est idem realiter cum illa vel est modus proprius illius. Alter est concursus Dei in actu 1^o, qui est actio Dei ad intra ex qua resultat actio Dei ad extra et est praeparatio divinae voluntatis ad concurrendum, et hic concursus in actu 1^o non est determinatus ad actionem peccati sed quod ex se est magis inclinatus ad bonum. Et cum arguitur concursus ad extra est determinatus ad talem actionem peccati et concursus ad extra procedit ab immanente actione volitionis divinae et secundum mensuram praescriptam a volitione divina, ergo volitio Dei determinate et in particulari terminatur ad talem actionem peccati. Concedo maiorem et minorem et nego consequentiam, quia ex eo quod Deus velit et imperet fieri actum ad quem voluntas creata se determinaverit satis est ut data determinatione nostrae voluntatis simul ad extra emanet concursus Dei in actu 2^o attingens omnem differentiam specificam et numericam actionis malae, quia sicut ratio actionis et volitionis et tendentiae in obiectum penetrat essentialiter omnes differentias actionis malae, ita divinus [f.398v] concursus ad extra, quamvis non sit volitus nisi sub illa ratione communi concurrendi ad volitionem, nihilominus penetravit omnes differentias specificas et numericas volitionum.

Sed URGEBIS: ergo saltem actio Dei ad extra est mala, quia est determinata ad producendum odium Dei et non alium actum bonum. RESPONDEO actionem Dei ad extra non esse malam formaliter loquendo sed materialiter, nam formaliter actio illa dicit dependentiam illius qualitatis a Deo, et qualitatem illam a Deo pendere bonum est si ita dependet ut voluntas nostra sit quae determinet ad malitiam illius et non voluntas divina. Caeterum in

eadem actione Dei ad extra de materiali involvitur malitia, quia est necessario coniuncta cum actione mala nostrae voluntatis, sed ita se habent istae duae formalitates actionis ut una actio sit praecipua ratio illius boni secundum quid quod reperitur in actu peccati et alia actio sit origo mali.

TERTIUM ARGUMENTUM est quia quae non possunt fieri nisi suppositis peccatis non potest Deus velle efficaciter et determinate nisi determinate velit peccata; sed Deus multa determinate vult quae non possunt fieri nisi praesuppositis peccatis, sicut voluit passionem et patientiam martyrum et poenitentiam Petri et Magdalenae; ergo. RESPONDEO negando maiorem, nam ut Deus efficaciter velit illos effectus bonos qui peccata supponunt satis est certo praecognoscere illa peccata esse futura sive scientia visionis sive scientia conditionalium infallibilium, ut dictum est 1 p., q. 14, a. 13 sub finem.

Sed URGEBIS, quia saltem Deus poterit velle illa peccata determinate, nam qui potest velle finem potest velle media necessaria ad illum finem consequendum. RESPONDEO distinguendo, nam media per se ordinata ad finem amari possunt efficaciter ab eo qui licite potest procurare finem, quia media honestatem et amabilitatem accipiunt a fine ad quem per se ordinantur, ac proinde possunt honeste amari et determinari.

Si INSTES: aliqua bona sunt quae implicat contradictionem existere nisi supposito peccato, sicut actus poenitentiae aut martyrii; ergo respectu illorum erit actio peccati medium per se ordinatum. RESPONDEO negando consequentiam, quae si valeret aliquid, probaret Deum et nos posse amare et velle efficaciter non solum entitatem materiale peccati sed etiam illius malitiam, quia actus poenitentiae essentialiter respicit malitiam ipsam peccati potius quam eius entitatem materiale. RESPONDEO igitur: ut medium sit per se ordinatum parum refert illius necessitas, et tota ratio sumitur ex directione intrinseca qua talis actus tendit in finem; atqui actionem peccati quatenus actio monstruosa est non tendere ad Deum sed potius contra Deum ac proinde contra omne bonum honestum ostensum est in disputatione peccati mortalis quatuor prioribus dubiis.

QUARTUM ARGUMENTUM: Deus potest consulere, immo etiam praecipere actionem erroris; ergo poterit illam velle determinate et ad illam determinare intellectum nostrum. Antecedens probatur, nam dato casu quem saepe contigisse constat quo plures sacerdotes virtutis et litterarum fama nobiles sive ex [f.399] ignorantia sive ex malitia alicui rustico asseruerent esse fide certa credendum et in Sacra Scriptura expresse contemptum aliquod haereticum dogma tunc ille rusticus cui nulla ratio probabilis suspectam reddit illorum doctrinam laudabiliter illi assentiretur, immo et aliquando assentiri tenebitur. Quo supposito sic arguitur: hunc assensum ad quem homo rusticus tenetur consulit et praecipit Deus; ergo Deus illum determinate vult. Nec satisfacies si RESPONDEAS voluntatem assentiendi quae bona est praecipit a Deo sed non praecipit errorem intellectus nam etiam error intellectus praecipitur quasi obiectum amandum et quasi actus ad quem movere debet voluntas; RESPONDEO absolute falsum esse antecedens, atque ad illius probationem, admissa casu dicendum est Deum rustico praecipere assensum dogmatis haeretici non per se sed per accidens; etenim Deus per se solummodo praecipit hoc dictamen verum et honestum: in rebus fidei rusticus sequatur quod sacerdotes theologi docuerint esse credendum quando nulla probabilis ratio suspectam reddit illorum doctrinam; et hoc dictamen per se quidem ordinatur ad credenda fidei dogmata, per accidens autem, propter sacerdotum malitiam et rustici imperitiam obligat etiam ad errorem credendum. Nec vis solutionis pendet ex eo quod dictamen illud generale sit et ad vera credenda accommodari possint; sed quamvis Deus ore proprio vel angelus Dei nomine illi rustico intimaret hoc imperium: hic et nunc crede iis quae tibi proponuntur a sacerdotibus (dummodo nec explicite nec implicite Deus diceret vera esse) adhuc illud dictamen per accidens inclinaret ad errorem credendum, et per se solummodo inclinaret ad hanc formalitatem, scilicet, rusticus hic et nunc sapientum ductum sequatur. Quomodo autem eiusmodi praeceptum non se habeat per se sed per accidens respectu erroris etiam supposita hypothese et quamvis necessario sequatur error, explicatur syllogismorum exemplo, etenim verum dictamen est cognita bonitate consequentiae assentiendum esse conclusioni si verum

iudicavimus antecedens; atqui contingit saepe falsum esse antecedens cui assentiti sumus et illationem esse optimam et tunc haec ipsa veritas inclinatur nos ad conclusionis assensum falsum; atqui evidens est nihil verum per se inclinatur ad falsum, quare illud verum dictamen de assensu conclusionis supposito assensu antecedentis non inclinatur ad falsum assensum ratione sui sed ratione antecedentis falsi.

RESPONDEO, IGITUR AD ARGUMENTUM: sicut Deus non praecipit actionem erroris per se sed per accidens etiam supposita illa hypothese, ita in eadem hypothese Deus non poterit per se determinare actionem erroris sed per accidens praebendo auxilia efficacissima rustico ut constanter decernat hic et nunc in rebus fidei sequi horum sacerdotum sapientum directionem quando nulla notati sunt suspicionem haeresis. [f.399v]

Idem argumentum confici potest circa turpes actiones voluntatis supposita conscientia erroris sive vincibili sive invincibili dictante obligationem illarum; ut si forte Herodes existimavit iuramenti religione se obstrictum fuisse ut Baptistae caput donaret. Ille enim non solum tenebatur iudicium erroneum deponere cuius deponendi erat praecipuum maximumque praeceptum, sed ex suppositione quod tale iudicium retineret ita tenebatur iugulare Ioannem ut si non iugularet peccaret graviter et tamen ad turpitudinem iugulandi non determinabat per se sed per accidens divinum praeceptum. Ut in disputatione de conscientia, dubio 2 dictum est.

Nunc notandum est has propositiones: Deus movet, inclinatur, determinatur, praecipit peccatum, ideo reddi veras quando additur illis vox per accidens, quia alienatur illos terminos a propria significatione. Sicut enim quamvis cadaveri aut marmoris repugnat ratio *leonis*, nihilominus vere dicitur leo mortuus aut pictus, quia haec addita *leonem* alienatur a propria significatione, ita quamvis *inclinatur et determinatur ad peccatum* essentialiter repugnet Deo convenit tamen illi addita voce *per accidens*, quia omnino alienatur a propria significatione. Quod, quia non animadvertit Zumel, 1^a 2^{ae}, q.79, a.2, disp.1, conclusione 4, coroll.2⁸⁵,

²⁸⁵ FRANCISCO ZUMEL, *In Primam Secundae Sti. Thomae Comment.*, q.79,

reprobat has propositiones. Merito tamen refutat illam propositionem Medinae *Deus indirecte inclinatur ad malum morale*, quae propositio in eo distinguitur a precedentibus quod vox *indirecte* non alienat terminos a propria significatione, quia etiam ad illa quae intendimus et volumus consequi inclinamus indirecte per media quae ad illum finem ordinantur ex natura sua; at vero vox *per accidens* denotat intentionem Dei et inclinationem et determinationem non esse ex se ad malum sed ad bonum et extrahit ab alia causa ad malum contra Dei intentionem.

QUINTUM ARGUMENTUM non valde dissimilem habet difficultatem et solutionem. Deus determinat intellectum ad actionem erroris et voluntatem ad actionem turpem in dormientibus, freneticis et amentibus; ergo saltem ad aliquas actiones turpes potest Deus determinare; unde rursus infertur eadem ratione posse determinare hominem sanae mentis et vigilantem ad errorem, quia in amente error non minus est contra rationem rectam essentialiter quam in homine sanae mentis, et similiter in amente cognoscente homicidium esse contra legem Dei voluntas occidendi est essentialiter turpis non minus quam in homine sanae mentis, et solummodo illi deest imputabilitas. Primum antecedens huius argumenti PROBATUR, quia ut vidimus dubio 6, sectione 1^a, Deus determinat causas naturales ad earum effectus, quia illis confert virtutem determinatam ad suos effectus et dato universali concursu Dei prorsus determinata est causa naturalis ad suum effectum producendum; sed huiusmodi actiones erroneae et inordinatae in amentibus, dormientibus et freneticis producuntur ab intellectu et voluntate ut a causis naturalibus concurrenti-[f.400]-bus obiectis, speciebus et habitibus et aliis circumstantiis; ergo ad ilas actiones Deus determinat.

RESPONDEO negando antecedens, et ad illius probationem distinguendo maiorem; nam Deus non determinat causas naturales nisi ad effectus qui per se sequuntur ex causis ut efficientes sunt et non ad eos effectus quos verius defectus dixeris, qui per accidens consequuntur ex causis non quatenus efficientes sunt sed quatenus deficientes et non quod defectuosae sint causae non

provenit a Deo sed ex eo quod causa 2^a producta sit ex nihilo, ut supra q.75, praesertim a.2²⁸⁶; error autem non consequitur per se ex intellectu, qui per se inclinatur in verum, sed ex imaginativa laesa et ex obiectorum concursu et speciebus et aliis causis, atque ex his omnibus non quatenus causae sunt sed quatenus a causando deficiunt non bene causando, ac proinde Deus non determinat ad errorem aut volitionem turpem amentis. Adde quod Deus quasi compulsus legibus universalis causae permittit eum defectum ex illarum concursu resultare ne illarum naturam semper mutare cogatur.

SEXTUM ARGUMENTUM est: Deus determinavit appetitum sensitivum hominis ad peccatum; ergo eadem ratione poterit determinare appetitum rationalem. Antecedens probatur, quia appetitus sensitivus etiam originali secluso, ex natura sua movetur ad multa bona sesibilia quae sunt contra rationem. Quod si respondeas: motus appetitus sensitivus secluso consensu voluntatis formali vel interpretativo non imputari ad culpam. RURSUS ARGUITUR quia saltem iidem motus mali sunt et ita deordinati ut si libere illis consentiamus peccata sint; ergo iam Deus ut auctor appetitus sensitivi illum determinavit ad malum et turpe obiectum, ac proinde eadem ratione voluntatem amentis naturaliter agentis poterit determinare ad eosdem motus amandos vel ad odium Dei.

RESPONDEO: omnes motus appetitus sensitivi sunt absolute boni per se loquendo, quia per se respiciunt principium a quo procedunt immediate et per se, scilicet appetitum sensitivum qui per se non respicit bonum honestum sed bonum sensibile quod solum est bonum animalis ut animal est cuius propria passio est appetitus sensitivus; unde constat Deum non determinasse appetitum sensitivum nisi ad bonum animalis et non ad malum rationis, quia appetitus sensitivus prorsus abstrahit a bono et malo rationis, sicut visus dum vidit pomum prorsus abstrahit a dulce vel amarum et solum versatur circa colorem; at vero iidem motus qui per se loquendo boni sunt, per accidens sunt mali quatenus comparantur cum ratione, et ideo ad illos amandos non potest Deus determinare voluntatem amentis sicut nec ad ullam aliam

²⁸⁶ *Archivo Teológico Granadino*, 61 (1998) 217.

volitionem quae sit contra rationem, quia voluntas respicit bonum rationis. Dixi de hoc fusius supra, q.71, a.2, dubio 3²⁸⁷.
[f.400v]

Articulus 3

Utrum Deus sit causa excaecationis et indurationis

De hoc Patres disputant in illud ad Romanos, 1 [28], *tradidit illos Deus in reprobum sensum*, et in alia similia Sacrae Scripturae. Scholastici communiter locis adductis in praecedenti articulo, dubio 1 et 3, praesertim Alexander, 1 p., q.29, mem.4 et 5²⁸⁸; Bonaventura, 1, d.40, a.3, q.1 et 2²⁸⁹; Roffensis, a.36 contra Lutherum²⁹⁰; Ruardus, a.7, de libero arbitrio, propositione 10²⁹¹; Driedo, De concordia liberi arbitrii cum praedestinatione, p.1, c.1, et 2 p., c.ultimo ad 4²⁹², et De captivitate et redemptione generis humani, trac.5, c.4²⁹³; Castro, Contra Haereses, verbo *malum* et *malitia*²⁹⁴; Soto, 1 De natura, c.18²⁹⁵; Cano, 2 De locis, c.4 ad 7²⁹⁶; Bellarmino,

²⁸⁷ *Archivo Teológico Granadino*, 49 (1986) 283-293.

²⁸⁸ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.1, inq.1, tract.5, sec.2, q.4, tit.2, c.4 y 5: Quaracchi, t.I, 1924, p.330s.

²⁸⁹ BONAVENTURA, *In primum librum Sententiarum*, d.40, a.3, q.1 et 2: Quaracchi, t.1, 1882, p.714,716.

²⁹⁰ I. FISCHER ROFFENSIS, *Assertionis lutheranae confutatio*, a.36: Wirceburg 1597, [reprod.1967] col.682s.

²⁹¹ RUARDO TAPPER, *Explicationis articulorum... circa dogmata ecclesiastica*, Articulus septimus *De libero arbitrio*: Amberes 1555, tomo 1, p.309.

²⁹² J. DRIEDO A TOURNHOUT, *De concordia liberi arbitrii et praedestinationis divinae*, 1.1, c.1: Lovaina 1566, tomo 3, fol.1-5; parte 2, fol.62.

²⁹³ DRIEDO A TURNHOUT, *De captivitate et redemptione generis humani*, tract. 5, c.4: 1533, p.435sss.

²⁹⁴ ALFONSO DE CASTRO, OM, *Adversus haereses*, 1.10, *malum et malitia*: Paris 1578, col.623-626.

²⁹⁵ DOMINGO SOTO, *De natura et gratia libri III*, 1.1, c.18: Salamanca 1554, fol.67.

²⁹⁶ MELCHOR CANO, *De locis theologicis libri duodecim*, 1.2, c.4 ad 7:

tomo 3, *Controversia Generali* 2, libro 2, c.14²⁹⁷; Valentia, tomo 2, disp.6, q.9, puncto 2²⁹⁸.

Rationes nominum et discrimen excaecationis, aggravationis aurium et obdurationis, D. Thomas in corpore perspicue tradit.

1^a CONCLUSIO. *Deus est causa excaecationis et indurationis praecisse quoad extrinseca*. EXPLICATUR et PROBATUR ex variis modis quibus Deus indurat et excaecat. 1^{us} MODUS est quando non punit peccatorem et propterea liberam ei facere videtur potestatem peccandi. Quod explicuit Origenes, 3 *Peri archon*, c.1²⁹⁹, his verbis *indurare dicitur nos Deus tali typo sermonis quali herus dum benignior in servum est insolentior ipse et improprior efficitur, dicere potest ego te talem servum feci, ego te perdidit, patientia mea insolentiae tuae causa extitit*. Qua figura Isaias 63 [17] *dixerunt impii quare errare nos fecisti a viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te*; idem Augustinus, epistula 2 ad Sixtum, quae est 105³⁰⁰, et *De praedestinatione et gratia*, c.4³⁰¹; Hieronymus³⁰², Chrysostomus³⁰³, Anselmus, Theophilactus³⁰⁴ et Origenes³⁰⁵, ad Romanos 1 [28], in id *tradidit illos Deus in reprobum sensum*; et ad Romanos 9 [18] in id *quem vult indurat*³⁰⁶.

Salamanca, 1563, p.15.

²⁹⁷ BELARMINO, *Controversia de gratia*, l.2, c.14: Ed. Vivès t.5, p.280.

²⁹⁸ GREGORIO DE VALENCIA, *Commentariorum Theologicorum tomus secundus complectens omnia 1^a 2^{ae} Divi Thomae.*, Disp.6, q.9, puncto 2: Lyon 1603, tomo 2, col.605-608.

²⁹⁹ ORÍGENES, *Peri archon*, l.3, c.1: PG 11 267-270.

³⁰⁰ AGUSTÍN, *Sixto presbytero instruens illum adversus pelagianorum argumenta*: Lion 1561, 528-547; PL 33 875-879.

³⁰¹ «SUSPECTI AUCTORIS», PSEUDO FULGENTIUS? *De praedestinatione et gratia*, cap.4: PL 45 1668.

³⁰² JERÓNIMO, *Commentarii in epist. ad Romanos*, 1: Paris 1545, t.9, p.267s; 9 (8): Ibid. p.285b.

³⁰³ JUAN CRISÓSTOMO, *Homilia V in epist. ad Romanos*: PG 60 421.

³⁰⁴ TEOFILACTO, *Expositio in epist. ad Romanos*, 1,28: PG 124 359.

³⁰⁵ ORÍGENES, *Commentariorum in epistolam B. Pauli Ad Romanos liber primus*: PG 14 869; *liber septimus*: PG 14 1146s.

³⁰⁶ TEOFILACTO, *Expositio in epist. ad Romanos*, 9,18: PG 124 467.

2° MODO Deus indurare dicitur *non solum quia negat flagella sed etiam quia negat auxilia uberrima sine quibus raro contingit respiscere aut numquam*. Ita Augustinus, epistola 105³⁰⁷, et libro 1 ad Simplicianum c.2³⁰⁸, et sermone 88 de tempore³⁰⁹; Damascenus, 4 Fidei, c.20³¹⁰; Isidorus, 2 De summo bono, c.19³¹¹; Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 6³¹², ubi affert illud Lucae 19 *ab eo qui non habet et quod habet auferetur ab eo*; Gregorius, 11 Moralium, c.5, et libro 25, c.12 et 13, et libro 29, c.24³¹³; Chrysostomus, homilia 67 in c.12 Ioannis³¹⁴, et homilia 3 ad Romanos³¹⁵ utitur hoc exemplo: *qui in medio, inquit, proelii relinquit aliquem in manibus inimicorum quem liberare posset, dicitur eum tradere*; idem Origenes supra, et homilia in librum Iudicum³¹⁶; et hunc modum late persequitur D. Thomas hic, Alexander et Bonaventura supra citati. - Quem ad gradum perveniat haec distinctio auxiliorum in obduratis non est huius loci explicare: dixi de hoc q.9 de praedefinitionibus, sec.1, concl.2³¹⁷. Videri potest Bellarmino, tomo 3, Controversia Generali 2, libro 2, cap.14, a § Secundo loco³¹⁸.

³⁰⁷ AGUSTÍN, *Sixto presbytero instruens illum adversus pelagianorum argumenta*: Lion 1561, 528-547; PL 33 875-879.

³⁰⁸ AGUSTÍN, *ad Simplicianum de solutione quarundam quaestionum ex epistola Pauli ad Romanos*, q.2: Basilea 1569, t.4, col.634.

³⁰⁹ AGUSTÍN, *Opus sermonum de tempore*, sermo 88: Basilea 1569, col.782.

³¹⁰ JUAN DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, l.4, c.20: Basilea 1575, p.363s; PG 94 1195.

³¹¹ ISIDORO HISP., *Sententiarum de Summo Bono libri III*, l.2, c.19: Amberes 1566, fol.60; PL 83 622.

³¹² CIRILO DE JERUSALÉN, *Catechesis VI*, XXVIII: PG 33 587.

³¹³ GREGORIO MAGNO, *Moralium libri sive expositio in librum Iob*, l.11, c.[5]: PL 75 953; l.25, c.[12] [13]: PL 75 341s.; l.29, c.[24]: PL 75 511s.

³¹⁴ JUAN CRISÓSTOMO, *Homilia 68 in c.12 Ioannis*: PG 59 376.

³¹⁵ JUAN CRISÓSTOMO, *Commentarius un epistolam ad Romanos*, hom.3: PG 66 414s.

³¹⁶ ORÍGENES, *In librum Iudicum homilia III*: PG 962s.

³¹⁷ DIEGO RUIZ DE MONTROYA, *De Providentia praedefiniende, ac praebente praedestinationis exordium*, Tract.2, De praedefinitionibus, Disp.9, sec.1: Lyon 1631, p.136b.

³¹⁸ BELARMINO, *Controversia de gratia*, l.2, c.14: Ed. Vivès t.5, p.281.

Obiter tamen supponatur Deum nemini etiam indurato negare auxilia simpliciter necessaria ad salutem, quod optime docuit Damascenus, 2 Fidei, cap.29³¹⁹, ubi distinguit duas species derelictionis, aliam dispensativam, aliam vero finalem et desperativam ut fuit derelictio Iudae et in hac etiam affirmat Deum conferre omnia quae ad salutem necessaria sunt, hominem vero ex proprio proposito manere insanabilem; idem Augustinus, libro de praedestinatione et gratia, cap. 13, 14 et 15³²⁰; Chrysostomus, hom. 83 in Mat. de Iuda³²¹.

3. MODO dicitur Deus indurare quando aliquid facit quod ex se bonum est, verum propter hominis malitiam praes- [f.401] - citur esse futurum in scandalum et in occasionem excaecationis et indurationis. Ita Origenes supra; D. Thomas in 9 cap. ad Romanos³²²; Augustinus in Ps 2 et 4³²³; et Theodoretus ibi³²⁴; quod exemplo solis eadem luce liquefacientis ceram et obdurantis lutum explicat D. Hieronymus in id Eccle, c.7³²⁵, *considera opera Dei quod nemo possit corrigere quem ille despexerit*; dictum est etiam de hoc in citata q.9 de praedefinitionibus, sectione 2.

Hoc modo intelligi potest Augustinus, libro 5 Contra Iulianum, c.3³²⁶, et De gratia et libero arbitrio, c. 20 et 21³²⁷, cum ait Deum non solum per patientiam sed etiam per potentiam indurat, quia non solum indurat tolerando praeterita sed quasi per potentiam tradendo hominem ad futura vitia sive deserendo sive alio quocumque sive explicabili sive inexplicabili modo, non

³¹⁹ JUAN DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, l.2, c.29: Basilea 1575, p.149s; PG 94 967s.

³²⁰ «SUSPECTI AUCTORIS», PSEUDO FULGENTIUS? *De praedestinatione et gratia*, cap. 13, 14 et 15: PL 45 1674s.

³²¹ JUAN CRISÓSTOMO, *Homilia 83 in Matthaem*: PG 58 748.

³²² TOMÁS DE AQUINO, *In epistolam ad Romanos*, c.9: ed. Vivès 20, p.523.

³²³ AGUSTÍN, *Enarrationes in Psalmos*, 2; 4: PL 36, 70; 79s.

³²⁴ TEODORETO, *Intrpretatio in Psalmos*, Ps 2: PG 80 878; Ps 4: 890.

³²⁵ JERÓNIMO, *Commentarius in Ecclesiastem*, c.7: Paris 1546, t.7, fol.37v.

³²⁶ AGUSTÍN, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, l.5, c.3: PL 44 790.

³²⁷ AGUSTÍN, *De gratia et libero arbitrio*, c.20 y 21: PL 44 905-909.

tamen errando nec iniuste quidquam iudicando vel faciendo. Haec Augustinus.

4^o MODO exposuit Augustinus: *ego indurabo*, id est, *quam durum sit demonstrabo*.

5^o MODO Deus dicitur decipere et excaecare principes quia impediendo aut mutando effectus quos intendunt deludit eorum conatus.

2^A CONCLUSIO: *in proprietate sermonis et in rigore theologico non sunt concedendae hae propositiones: Deus indurat, excaecat, est causa vel auctor indurationis vel excaecationis*. Ita docti iuniores, et favet D. Bonaventura, 1, d.40, a.3, q.2³²⁸; Alexander, 1 p., q.29, mem.3 et 4³²⁹.

Et RATIO est quia excaecatio proprie significat caecitatem mentis ac proinde errorem vel saltem ignorantiam rei quae deberet sciri, et induratio proprie significat pravam voluntatis dispositionem ratione cuius non vult converti ad Deum, ut ex variis locis D. Augustini bene colligit D. Bonaventura, 1, d.40, a.3, q.1³³⁰; et Alexander, 1 p., q.29, mem.5, a.2³³¹, et haec sunt intrinseca excaecationis et indurationis; horum autem Deus non potest esse causa ut constat ex praecedenti articulo. CONFIRMATUR, quia negari non potest quin excaecatio et induratio inordinationem importent ex parte intellectus et voluntatis; Deus autem non potest dici causa talis inordinationis. Unde in Sacra Scriptura proprius tribuitur homini, ut Ps 94 [7s], *nolite obdurare corda vestra*, et Sap 2 [21], *excaecavit eos malitia eorum*. Proprie etiam tribuitur daemioni, ut 2 Cor.4 [4], *deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium*. Nec mirari debemus si in rigore sermonis neganda dicatur esse propositio quae expresse habetur

³²⁸ BONAVENTURA, *In primum librum Sententiarum*, d.40, a.3, q.2: Quaracchi, t.1, 1882, p.716.

³²⁹ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.1, inq.1, tract.5, sec.2, q.4, tit.2, c.2 y 4: Quaracchi 1924, p.329 y 331.

³³⁰ BONAVENTURA, *In primum librum Sententiarum*, d.40, a.4, q.1 et 2: Quaracchi, t.1, 1882, p.717,718.

³³¹ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.1, inq.1, tract.5, sec.2, q.4, tit.2, a.2: Quaracchi 1924, p.333.

in Sacra Scriptura, nam sacri auctores merito utuntur vulgari et usitato modo loquendi et aliquando figurato et translato sermone, idque praesertim secundum hebraeam phrasim quam aliquando non admittit latinus sermo, atque de hac phrasi qua Deo tribuitur actio quam permittit. Videri potest Cantapetrensem, libro 10, regula 5. Et cum aliis Sacrae Scripturae testimoniis cautum fuerit ne Deus existimaretur auctor caecitatis et peccatorum expediens fuit eo modo loquendi uti quia magnam habet energiam ad significandum etiam excaecationem et peccata non evenire sine divina providentia cognoscente singula in particulari et volente permittere et intendente eam poenae rationem quam velle potest supposita culpa intendenteque [f.401v] occasionem colligente bona ex malis; habet etiam vim ad exagerandam iram Dei et necessitatem abundantioris auxilii.

Haec dicta sint de frequentiori acceptione indurationis et obcaecationis, nam apud Patres est alia acceptio minus usitata in qua non erit impropria loquutio si dicas Deum esse causam indurationis, accipitur enim pro subtractione auxilii abundantioris in poenam: ut inquit Glossa Augustini ad Romanos obduratio est nolle misereri³³². Vide D. Bonaventuram, 1, d.40, a.3, q.1³³³; Alexander, 1 p., q.29, mem.5, a.1³³⁴. Quamvis huius etiam subtractionis quam supponit in homine causam demeritoriam Deus non sit tam proprie causam.

3^a CONCLUSIO: *induratio et obcaecatio semper est in poenam peccatorum*, quod ex multis locis Sacrae Scripturae colligit D. Hieronymus in id Eccle 1, [13], *et dedi cor meum*,³³⁵ etc; Cyrillus, Catechesi 6³³⁶; Gregorius, 31 Moralium, c.11³³⁷; et

³³² *Biblia Sacra cum Glossa ordinaria...* Ad Rom 9,18: tom.6, Lyon 1590, col.126s.

³³³ BONAVENTURA, *In primum librum Sententiarum*, d.40, a.4, q.1 et 2: Quaracchi, t.1, 1882, p.717,718.

³³⁴ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.1, inq.1, tract.5, sec.2, q.4, tit.2, a.1: Quaracchi 1924, p.331.

³³⁵ JERÓNIMO, *Commentarius in Ecclesiastem*, c.1: Paris 1546, t.7, fol.19v.

³³⁶ CIRILO DE JERUSALÉN, *Catechesis VI*, XXVIII: PG 33 587.

³³⁷ GREGORIO MAGNO, *Moralium libri sive expositio in librum Iob*, 1.31, c.[11]: PL 75 586.

ex professo tractant D. Bonaventura et Alexander citati. Idem videntur supponere sancti locis supra adductis.

Quod si opponas Paulum ad Romanos 9 [18], dicentem *cuius vult miseretur et quem vult indurat*, RESPONDEO id referendum esse ad peccatores tantum, ut scilicet Deus pro supremo gratiae dominio, ex duobus peccatoribus cuius vult misereatur et quem vult induret. Et propter hoc D. Thomas hic, corpore, explicat discrimen Dei a sole, propter quod Deus dicatur causa caecitatis potius quam sol tenebrarum, quia scilicet licet uterque sol lumen spargat quocumque non impeditur, verumtamen sol aequaliter lumen denegat locis in quibus impedimentum aequale reperit, Deus autem proprio iudicio quibusdam impedimentum aufert. Sed difficilium est in hac re quia ex dictis sequi videtur omnem puerum pervenientem ad usum rationis qui nondum peccavit mortaliter habere plura auxilia ad salutem quam quilibet induratus habeat, quod tamen falsum videtur, nam puer inter idolatras nutritus non habet plura auxilia ad salutem quam habuerunt illi hypocritae quibus Christus exprobrabat Isaias verbis: *excaeca cor populi huius et aures eius aggrava* [Jn 12,40; Is 6,10] RESPONDERI potest 1°, in huiusmodi puero esse culpam originalis peccati quae est sufficiens meritum indurationis secundum Augustini glossam ad Rom 9 [18] quam sequitur Alexander, 1 p., q.29, fine³³⁸, qui recte observat hanc esse generalem et minus propriam obdurationem et excaecationem, nam propria induratio et obcaecatio in Sacra Scriptura et Patres importat poenam personalium peccatorum et quoad hanc formalitatem non reperitur in pueris antequam mortaliter peccent.

DICENDUM est 2°, si respiciamus ad illud quod materiale est in excaecatione et induratione praecissa ratione poenae, sic etiam reperimus aliquid his vocibus innui in Sacra Scriptura quod non invenietur nisi in iis qui tenentur personalibus peccatis, scilicet cum comparatione concionum quas exterius audiunt aut miraculorum quae vident aut exemplorum et aliarum rerum quae ex natura sua ad bonum excitant, et comparatione potestatis et

³³⁸ ALEJANDRO DE HALES, *Summa Theologica*, p.1, inq.1, tract.5, sec.2, q.4, tit.2, a.3: Quaracchi 1924, p.333.

capacitatis agnoscendi et amandi lumen, illi [f.402] duriores sint. Quapropter ille prae omnibus induratus et obcaecatus est qui crebra et illustri Dei vocatione non flectitur, secundum illud Isaiae 42, [19], *quis caecus nisi servus meus et surdus nisi ad quem prophetas meos misi*, et huiusmodi induratio et obcaecatio non reperitur in puero cum solo originali peccato.

DICENDUM est 3^o, quod attinet praecisse ad subtractionem auxilii praesertim externi ut praedicationis et miraculorum et boni exempli recte probat argumentum aliquem puerum ante peccatum personale magis induratum esse quam alium qui multa mortalia commisit sed hoc non est proprie indurari et excaecari secundum usitatum loquendi modum Sacrae Scripturae et Patrum.

Denique observandum est non omnem qui mortaliter peccat esse excaecatum et obduratum quia saepe habet uberiora auxilia quam generalia, et obduratio et excaecatio non consistit in sola permissione peccati sed exigit maiorem aliquam destitutionem auxiliorum et maiorem pertinaciam et improbitatem quam quae reperitur in omnibus qui mortaliter peccant. Vide Canum, 2 de locis, c.4 ad 7³³⁹; Valentia, tomo 2, disp.6, q.9, puncto 2³⁴⁰.

Articulus 4

Utrum induratio et obcaecatio semper ordinentur ad salutem eius qui excaecatur et induratur

RESPONDET D. Thomas: quod ex se est ordinatur ad damnationem, ut ex illarum natura constat.

2^o, ex Dei misericordia quandoque ordinantur ad salutem eius qui excaecatur, quandoque ad damnationem ex Dei iustitia. Ita D. Augustinus, 3 De quaestionibus Evangelii, q.14³⁴¹; Bernardus,

³³⁹ MELCHOR CANO, EPISC. CANAR., *Delocis theologicis libri duodecim*, l.2, c.4 ad 7; Salamanca, 1563, p.16a.

³⁴⁰ GREGORIO DE VALENCIA, *Commentariorum Theologicorum tomus secundus complectens omnia 1^{ae} 2^{ae} Divi Thomae...*, Disp.6, q.9, puncto 2: Lyon 1603, tomo 2, col.608.

³⁴¹ AGUSTIN, *Quaestionum septendecim in Ev.secundum Matthaem liber*

De consideratione ad Eugenium³⁴², quia Deus aliquibus aufert cor lapideum tribuendo cor carneum, Ezechiel, 11 et 36; D. Damascenus, 2 Fidei, c.29³⁴³, dum distinguit duas species derelictionis, alteram dispositivam alteram desperativam.

3^o, hinc sequitur non solum praescitos indurari sed etiam quandoque praedestinos ut in praesenti concedit D. Thomas, cuius rei explicatio maior petenda est in materia de praedestinatione.

*(Sigue el comentario a la Q. 80
De causa peccati ex parte Diaboli)*

unus, q.14: PL 35 1372s.

³⁴² BERNARDO, *De Consideratione ad Eugenium papam*, l.1, II: Roma 1963, t.3, p.396.

³⁴³ JUAN DAMASCENO, *De fide orthodoxa*, l.2, c.29: Basilea 1575, p.149s; PG 94 967.